



A.K. 138.47.

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**CVRA FEMINARVM SECUNDVM**  
**IVS SAXONICVM ET STATVTA**  
**ERFVRTENSIA EX PRINCIPII**  
**MEDII AEVI.**

Y a  
5578



QVAM  
INDVLGENTE ILLVSTRI IVRECONSULTORVM  
ORDINE  
IN PERANTIQVA ELECTORALI EMMERICI  
ANA ACADEMIA ERFVRTENSI  
DEO P R A E S I D E  
PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES ADIPISCENDI  
D. XXX. MAII MDCCCLXVIII.  
IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII  
ANSELMINI  
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITIT  
A V C T O R  
JOANNES IVSTINV SCHNEIDER DICTVS  
WEISMANTEL,  
ERFVRTENSIS.

ERFORDIAE, AERE HENR. RVDOL. NONNII, ACAD. A TYPIS.



REVERENDISSIMO  
ATQVE  
ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO GVILIELMO**  
**IOSEPHO ADAMO**

L. B. DE DREIDBACH IN BVRRESHEIM,  
METROPOLITAN. ECCLES. MOGVNTIN. ET COLLEGIA.  
EQVESTR. S. ALBANI ET S. VICTORIS, CANONICO CAPITVLARI, VT ET  
ECCLESIAE COLLEGIATAE NORTHVSÆ PRAEFOSITO, EMINENTISSIMI  
AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI, NEC NON EPISCOPI  
AC PRINCIPIS WVRCEBURGENSIS CONSILIARIO INTIMO, AC CI-  
VITATIS, TERRITORIIQVE ERFORDIENSIS PRO-  
PRINCIPÆ, RELIQVA.

M V S A R V M  
**PATRONO AC PROTECTORI**

S P L E N D I D I S S I M O  
VNIVERSITATIS FRFORDIENS. NVTRITORI

I N D V L G E N T I S S I M O  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

DEMISSISSIMO DEVOTAE PIETATIS OBSEQVIO

ET CONCEPTIS PRO SALVTE

REVERENDISSIMI AC ILLVSTRISSIMI

M V S A R V M P A T R O N I

VOTIS ARDENTISSIMIS

SE SVAQVE OMNIA SVEMISSE COMMENDATVRVS

DAT DICAT DEDICAT

A V C T O R.

JO. IVSTINVS SCHNEIDER, DICT. WEISMANTEL.



D I S S E R T A T I O

D E

CVRA FEMINARVM, SECUNDVM IVS SAXONICVM  
ET STATUTA ERFURTENSIA EX PRINCIPII  
MEDII ÆVI.

PROOEMIVM.



uum nihil dignus nihilque jucundius Legum  
Cultori, meo quidem judicio evenire possit,  
quam cum ei, prima legum cum quibus ver-  
satur stamina, earumque incrementa cognos-  
cendi occasio prona offertur: haud parum exoptatum mihi  
jucundumque fuit, ea, qua hadenus inulta fere reli-  
cta fuerant, Statuta Erfurtensia, qua adhuc genuina super-  
sunt antiquissima, ad usum nancisci. Rarum hoc antiquitas  
monumentum, cum elegantissima juris germanici, vetu-  
slarumque consuetudinum & morum patiorum simplicita-  
tis testimonia in se contineat, animum eo flexit, ut inter plura  
alia mihi e re visum sit, quedam ex his statuta-

A 2

riis

+      ☰ ☱ ☲ ☳ ☴ ☵

riis afferre, cum in jura patria paullo altius inquirere operae pretium esse, jam plures viri docti exemplis suis comprebauerint: Præsertim cum extra omne dubium positum sit, quod antiqua sape rationem nouarum Legum contineant, quam nescire, maxima negligentia tribuendum ideoque taxandum est; & quod ad solidam omnibusque partibus absolutam juris germanici scientiam utique pertineat, ea quibus Germania in medio anno regebatur jura, nosse & in lucem producere. Abundant quidem jura ista statutaria dispositionibus maxime singularibus atque notatu dignissimis, quæ ad meditationes optimam occasionem prabent. Inter cetera vero, hoc quod proposui Thæma mihi arrisit, partim quia ad alia enodanda, subsidia congerenda plus spatii desiderabant, partim quoque quia hac ex re plus quam aliunde apparet, quo modo & quam diu jam in iis terris, a quibus Cura Sexus exulauit allaboratum sit pro legibus statui aptandis & pro ea euertenda. Etsi igitur in compluribus regionibus, sicut & in nostris foris huius materiæ usus cessauit, non ideo tamen inanem operam nauare puto, cum in aliis terris eo frequentior superstes deprehendatur ista foeminarum, moribus antiquis quidem conformis, hodiernis vero repugnans refrenatio. Quæ cum ita sint non sine fructu in rei originem verumque fundamentum ac rationem inquiri, ac exinde pro mutato rerum statu, quare & ista Cura immutata ac postea abrogata, in aliis vero terris retenta sit, dispici posse, arbitror. Præcipue cum germanicarum legum hoc ferme sit communè fatum, vt antiquum splendorem alibi amiserint, alibi autem vel retinuerint, vel immutatam faciem acceperint, adeo vt nullibi legem germanicam, negotia priuatorum determinantem, reperiás qua vbique æqualiter vigeat, ita vt usque hue multum inter eruditos discreptatum sit, utrum jus germanicum vniuersale existat, necne, atque maxima exinde orta sit juris patrii difficultas, quæ nul-

lo

◆ ◆ ◆

lo alio modo, ac legibus prouinciarum inter se sedulo comparatis, tolli potest. Quemadmodum autem ad istam dis-crepantiam ventum sit, partim ex proposita materia appa-rebit, cum statuta nostra antiqua exceptiones a regula eom-muni jam formauerint; vt autem regulam genuinam pro-ponere possim, inter reliquas medii aui leges, quæ de Cura Sexus disponunt, has, quæ in vicinia obtinuerunt, elegi & Ius Prouinciale Saxonicum secutus, hoc ex genuinis fonti-bus ac rationibus deducere exceptionesque juris statutarii nostri subiecte demum institui.

### CAPVT I.

#### DE CVRA FEMINARVM IN GENERE

EIVSQVE ORIGINE.

#### S E C T I O I.

##### DE CVRA IN GENERE, SPECIATIM

DE CVRA FEMINARVM.

#### §. I.

**C**uram in genere definiri posse arbitror, quod sit munus publicum, quo quis bona & negotia eorum, admini-strare tenetur, qui propria vi & potestate illis præesse non possunt 1) præcipue cum in hac notione jus romanum pari-ter ac germanicum variis tamen extensionibus adhibitis, conueniant, quod paullo inferius dilucidius apparebit. Pa-tescit etiam differentia inter Curam & tutelam, hæc enim persona directionem coniunctam habet, illa non æque, cum solummodo circa administrationem eorum, quæ bona con-cernunt, versatur 2). Differt quoque a procuratione; Pro-curator enim ab ipsa persona, cuius negotia administranda sunt, constituitur, potestas autem curatoris ex jure superio-ris, cui conuenit curare, ne subditorum bona dissipentur, derinatur.

1) Daries Institut. Iurisprud. vniu. S. 744. 2) idem §. 843.

Cor. I.

A 3

§. II.

## §. II.

Cum igitur Cura sit munus publicum, quod inuoluit potestatem administrandi bona & negotia alterius, prius, vt huius potestatis originem disquiramus, necesse est. Est autem haec potestas, imperii civilis effectus; ille enim, cui summa in rem publicam inspectio & regimen competit, curare debet, vt vnicuique ex subditis bene sit, & vt ea propter bona eorum rite administrentur; hoc autem obtineri sane non poterit, si ii qui ex mentis vel corporis imbecillitate, rebus suis ita superesse nequeunt, vt non modo lassiones & iniurias, sed & fraudulentas inductiones, defraudationes & ad bonorum dilapidationem persuasiones, ab aliis illatas proprio ingenio auertere non possint, alii magis versati, & rebus gerendis magis idonei, adiungendi igitur sunt, qui eorum bona administrent & negotia perficiant, suoque consilio succurrant, his imbecillis reipublicæ membris, vt eadem conditio procuretur, qua reliqui ex statu ciuili gaudent.

## §. III.

Ex hisce dictis facile quoque apparet, curam pariter ac tutelam munus esse publicum; Nemini enim in alterius bonorum administrationem jus competere potest, quam vel per speciale concessionem eius cuius bona administrandas sunt, quo casu vero Procuratio oritur, quæ huius loci non est, vel per delationem eius, cuius est regimen reipublicæ, ex justa causa factam, ad salutem publicam promouendam, quo casu cura nostra oritur, & ab eo descendit, cui jus eam deferendi, ex supra inspektione ciuili adquisitum est. Subditos itaque ad curam pariter ac ad tutelam subeundam cogi posse, juris publici vniuersalis principia suadent i); ad munera publica enim subeunda quemlibet ciuem adstrinquent. Nec differentia induci potest ex eo, quod maius sit periculum si quis tutore destitutus sit, quam si quis Curatorem non habeat, cum in utroque casu salus reipublicæ leditur,

ditur, licet in priori, persona pupilli aequa cum bonis interire possit, cum in posteriori, bonorum solummodo periculum sit metuendum. Iniuste recusantium Tutorum & Curatorum poenam vero diuersam esse debere, puto ex aequitate naturali; Tutor enim in non adeundo contumaciter tutelam, reipublicæ non solum vtile membrum in persona pupilli corrupta perdere, sed & eius bona, quorum conseruationem salus publica postular, dilapidationi exponere potest, ita ut ad paupertatem redigatur pupillus, e contra Curator recusans iniuste, solummodo ad inopiam redigere potest reipublicæ membrum; cum igitur Tutor dupliciter possit peccare, dupliciter quoque est puniendus. Et hisce quidem concordat Speculi Saxonici Glossa; quod ipsum quoque praxi edocemur. Tametsi enim sint, qui agnatum vel cognatum, in petendo curaore negligentem, eadem ratione puniendum esse censeant, act si negligentia in petendo tute commissa esset, eorum tamen opinio nec analogia juris conformis est, quæ leges poenales stricte explicari jubet, neque etiam vsu fori comprobatur 2).

1) *Daries Inst. Iurisp. viii. §. 744.* — 2) *Engau de poenis in petendo tute negligientium & Io. Chr Franke de successione liberorum matri in tute ipsiis petendo negligenti, hodierno jure non admenda.*

#### §. IV.

Suprema Curatorum Lex igitur esse debet salus publica, eorumque administratio secundum hanc normam debet esse comparata. Is ideo cui ius constituendi curatorem competit, cautus esse debet, ut tales eligat, qui ex salute publica administrationem gerere, finemque, ob quem constitutus est adimplere possit; remouendus ergo is est, qui desit ita administrare, ius remouendi vero illi competere debet, cui competuit constitutio & generatim remotio a publicis muneribus 1).

1) *Daries alleg. §. 845. Corr. I.*

#### §. V.

## §. V.

Qui denique curæ subiecti sunt? procul dubio sunt ii, qui propter impedimenta vel physica vel moralia in sua persona contingentia, salutem publicam promouere, & ut membra reipublica utilia, ex propriis viribus ita rebus suis superesse nequeunt, prouti hoc finis reipublica requirit, & ab alio membro exigitur. Ex quo apparet, cur ius Ciuale furiosos, mente captos, prodigos, Curæ necessario subiecerit; morbo sottico laborantes surdos, mutos vero, voluntariae Curæ reliquerit, in his enim non adeo improbabile est, reipublicæ finem addito Curatore, melius promoueri posse, quam his sibi ipsis relictis, cum mente adhuc valeant, & defectus corporis Curatore intercedente, tamen non in melius formari potest. Hinc recte DD. curam & tutelam diuidunt in *administratoriam* sive *plenam*, quæ ob naturalem imbecillitatem datur, ac personæ & bonorum directorium tribuit, & *defensoriam* sive *minus plenam*, quæ ob ciuilem imbecillitatem locum habet, nec proprie directorium actionum curatori tribuit, sed eum tantum in finem institui solet, vt, qui eiusmodi imbecillitate ciuili laborant, consilio instruantur, quod in ipso cura sexus, de qua mox latius exponemus, vñ deprehenditur conf. Gottl. Reise de fundam. tutelar. legitimar. jure Saxonico antiquo, medio & recentiori. §. 13. & 14.

## §. VI.

Ex his itaque a contrario evidenter concludi potest, eos, qui corpore & mente valent, & ipsi finem reipublicæ obtinere possunt, curæ nequaquam esse subiectos, & si Curæ subiiciantur, eis iniuriā fieri, cum per hanc subiectiōnem inutilibus reipublicæ membris annumerentur, qui non nisi alio interueniente, finem ob quem in republica nati obtinere possunt. Et sane hæc mihi ratio videtur esse altera, quare jus ciuale vitio corporis laborantes, curæ voluntariae solummodo subiecerit, quia horum existimationi ciuali, quæ vitio

vitio corporis contingente non interimitur, hoc modo par-  
cendum esse judicatum fuit, quæ laſa fuisset, si cura necessa-  
rio adſtriicti fuissent. Priscos Romanos hoc quoque optime  
agnouisse, vel patet ex eo, quod minoribus curatores non  
dabant, & hi eos recipere, strenue recusabant. Integritati  
enim morum apud Romanos maxime conueniebat, vt qui-  
libet juuenis, obligationem suam agnosceret, se esse ad fa-  
ludem reipublicæ natum; & historiæ nos docent, quam lau-  
dabilem operam hi juuenes romani nauarent, nec sanguine  
parcendo eam promouendi. Maximo opprobrio igitur si-  
bi reputabant, si declarabantur, huius rei non capaces 1),  
quod dato Curatore accidebat. Hæc principia quidem in  
incunabulis romanæ reipublicæ, vbi virtus politica florebat,  
optinami frugem reportabant, & honoris stimulum excita-  
bant. Progressu autem rerum, cum diuitiæ Romæ cresce-  
rent, & salutis publica pars in his poni cœpisset, ita vt ci-  
uibus aliquid esset, cuius dilapidatio detrimentum inferebat,  
& saluti publicæ parum conueniebat, de curatore demum  
minoribus adiungendo, qui rem familiarem eorum dirige-  
rent, cogitatum fuit & *Lex Latoria* A. V. C. CCCCXC. fere-  
batur, quæ sanxerat, vt adolescentibus XXV. annis minori-  
bus, potentibus, Curatores cauſa cognita darentur 2). Fal-  
sum autem est, quod *Heineccius* ait, lege Latoria Sanctum  
esse, minoribus curatores non nisi potentibus, & cauſam ad-  
legantibus, dari oportere. Quis enim sibi persuadeat, mi-  
nores Prætorem adiisse, & cauſam, quare de curatore ipsis  
prospiciendum sit, luxuriam nempe, dilapidationem, cet. al-  
legasse? Ridiculus sane esset legislator, qui talia a iuueni  
desideraret, præsertim cum mores romani, jam in peius ru-  
erent. Reclius ergo dicitur: agnatorum fuisse, cauſas apud  
Prætorem exponere, quare nimis curatores juueni mino-  
ri dari deberent; quod vnicē intendebat lex Latoria, de qua  
peculiari dissertatione eleganter exposuit *Hatzler*. Enimue-


to cum vel sic minoribus opprobrio esset curatores accipere, cum semper causa reddenda esset, qua ipsos rerum suarum administratione superesse non posse, demonstraret: sapienti plane consilio Imp. Antoninus constuit 3), minoribus, etiam non redditis cauiss, curatores dari oportere. Quod latius Capitolinus in eius vita C. XI. tradidit. Hoc ipso ergo effectum est, ut saluo pudore, ipsis de curatore prosperceretur. Ut vero minores cogerer, Pratorem concedendo curatore adire: sapienter constituit, ipsis non alia ratione bonorum administrationem committendam esse; quo ipso id evenit, ut nemini nisi volenti, curatores dari viderentur, prasertim cum ipsis ingrata persona non facile obtruderetur 4). Hinc ipse adeo Iustinianus 5) ait, curatores inuitis non dari solere, & multi adeo Iureconsulti idem etiam quoad Ius Iustinianeum nouissimum obtinere statuerunt 6).

- 1) L. 2. ff. Si a parente quis manumiss. *iniquum enim reputabatur ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem.* 2) Heinecc. Antiq. Lib. I. Tit. XXIII. §. 6. M. Lætorii Planciani, Tribuni plebis tempore enim, luxus in rem publicam sese infundere cœpit, qui adolescentes præcipue maxime corripuerat, cuius rei emendanda causa Lætorius legem suam rogabat Gundling Digest. Lib. IV. Tit. IV. §. 5. 3) Ge. Conr. *Crusius* in diss. ad Constitut. D. Marci de Curatoribus minorum XXV, annis c. 1. 2. 4) L. 35. §. 1. ff. de admin. tutor. Otto in Comm. ad Inst. p. 135. 5) §. 2. I. de Curat. 6) Raeuardus Lib. I. Variorum cap. 17. Nood de pactis c. 20.

### §. VII.

Præmissis his facile appetet, curam maiorennum seminarum a Iure naturæ maxime esse alienam. Cum nondum demonstrari potuerit, eas, si robur naturale membrorum excepitis, in aliis negotiis, ubi iis plerumque curator adiungi solet, debiliores & imbecilliores esse masculis, & paria igitur

tur inter masculos & feminas ratione curatoris jura obtine-  
 re debere, ex aequitate naturali statuendum esse puto. Nec  
 facilitas eas decipiendi adeo magna est, vt reipublicæ dam-  
 num exinde metuendum sit. Secundum principia natura-  
 lia igitur feminis iniuriam fieri, cum requiritur, vt negotiis  
 suis curatorem adhibeant manifesto apparet. Ad quod de-  
 monstrandum plurimum facit experientia quotidiana, cum  
 ea duce videamus, res & negotia seminarum in iis regioni-  
 bus, vbi ista cura sexus non obseruatur perinde feliciter ad-  
 ministrari & geri, ac in iis terris vbi illa adhuc viget. Tan-  
 tum igitur abest, vt illa pro præsidio haberi possit, vt contra  
 multa ad litium protractionem conferat, & sèpissime rece-  
 ptaculum nequitæ causas orantium efficiatur; imo & in  
 terris iis, vbi etiam ad extrajudicia negotia curatore femi-  
 na opus est, contractus & commercia priuata difficiles red-  
 dit, qua ut promoueantur, saluti publicæ conuenit, potius  
 vero a contrahendo cum femina arcet, & centenas alias in-  
 conuenientias inducit, qua ex nimiis huius rei subtilitatibus  
 oriuntur 1). Quidquid igitur dicat Schilterus 2) ex facilita-  
 te labendi, sexui sequiori annata demonstrans, hanc Curam  
 Iuri naturali conuenire, tamen in contrarias partes ire co-  
 gor. Nec me mouet Berlichii 3) & Carpzonii 4) aliorum-  
 que 1Ctorum ratio ab imbecillitate Sexus desumpta, cum  
 prouti patet, & imbecillitas & facilitas labendi viræque sint  
 mere excogitata. Huc quoque non facit Schilteri 5) asser-  
 tum, feminas Curæ ideo subiicientis, quia maris natura sit  
 melior & dignior atque ad imperandum constituta: deficit  
 enim huic argumento filum consequentia, imperiumque vi-  
 rorum extra potestatem maritalem sacris etiam litteris ap-  
 probatam 6), extendere nolim. Quidquid autem sit, legi-  
 bus introductam istam Curam inuenimus & antiquis tem-  
 poribus præcipue obseruatam exacte fuisse nouimus. No-  
 stro vero ævo 1Cti inconuenientias sentientes, interpretatio-



nibus suis rem eo verterunt, ut antiquus rigor maxime cef-  
set & nihil nisi consiliarii necessario adhibendi persona, su-  
persit 7). Meret igitur ciuiles sunt ista leges hanc curam  
introducentes, earum itaque rationes detegere, verumque  
huius cura habitum ex antiquo & medio aeo, ubi maxime  
vigebat restituere, opera pretium erit, nosque in præsentia-  
rum maxime occupabit.

- 1) *Leyfer* spec. 13. med. 3. & spec. 328. med. 22. *Berger* elect.  
disceptat, forens. L. 8. Ord. I. n. 2, qui plura hac facientia si-  
mul adfert & testatur, Ordines Proutine. Saxon. his rationibus  
motos, in Comitiis Anno 1699. habitis, consilium de abolen-  
da penitus cura sexus iniisse: Sed euentu haec tenus caruerunt,  
pia ista desideria. 2) Exercitat. ad ff. X. §. 19. 3) Part.  
II. Concl. 17. n. 3. 4) Constitut. 15. Def. I. n. 2. sqq.  
5) Exercitat. ad ff. X. §. 17. 6) Genef. 3. vers. 16. 7) *Ley-  
fer* spec. 328. med. 22.

#### §. VIII.

Conuenientiam juris romani & Iustiniane cum iisis  
principiis ex naturali aequitate deducis demonstrare, facili  
negotio fieri posse sat cognitum est; nullas enim sanctiones  
ibi deprehendes, quæ ex iis derivari nequeant & plane igno-  
ra est Triboniano ista de cura sexus sanctio. Sat congrue  
igitur secundum ius romanum Iustinianum Cura describi-  
tur; quod sit potestas administrandi bona & rem familia-  
rem eorum, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt 1) Sed  
hac cura romana primario nos non occupet, eam igitur  
altius indagare, instituti ratio non permittit, qua propter ea  
relicta, quid secundum ius Germanicum, ea de re statuen-  
dum sit, disquiramus.

- 1) L. 20 ff. de Ritu nupt. & L. 8. C. de Nupt.

#### §. IX.

Secundum jus germanicum, si principia circa curam  
sexus in genere enodare velis, multo latius eam patere quam  
iure romano reperies. Nescit enim ius nostrum differen-  
tiam

tiam inter Tutores & Curatores 1) & quod ad eos attinet, qui maioribus adiunguntur, eorum potestati etiam feminæ subiiciuntur, licet persona directio in his pari modo principaliter non requiratur. Est vero institutum, potiora de ista cura sexus capita proponere, atque ex lippidioribus quam plerumque factum, fontibus ea deducere conabor.

1) conf. *Ill. de Selchow Elem. Iur. Germ.* §. 196. & 514.

## SECTIO II.

### DE FEMINARVM CVRAE ORIGINE ET FONTIEBVS.

§. X.

Extant quidem huius Curæ circa feminas, vestigia antiquissima & *Budeus* 1) prima eius flamina ad priscas res publicas Græcas reducit, *Schilterus* 2) ea de re fusius loquitur, & eam, quam hæc cura apud Athenienses, reliquaque Græciæ gentes, faciem habuit, sat luculenter demonstrat. *Schiltero* autem hac in re facem præferente superfluum es-  
set, ea quæ ibi dicta sunt repetere, & eum allegasse sufficiat. Has vero circa curam seminarum latas leges Græcas *Theodorus Marcilius* 3) ad Romanos a triumuiris legum describen-  
darum causa Athenas missis translatas esse contendit; quam-  
ob rem in L.L. XII. Tab. hanc perpetuam seminarum cu-  
ram a Græcis ortam irrepisse, & ita a romanis Decemuiris approbatam, tanquam legem a Romanis obseruatam fu-  
isse. 4)


1) in Commentar. Græc. linguae. 2) Exercitat. ad ff. Ex, XXXVII. §. 222. seqq. 3) L. 29. LL. XII. Tab. 4) *Ritters-*  
*hus Commentar.* ad L. XII. Tabb. p. m. 109.

§. XI.

Attamen hanc de migratione huius dispositionis juris Græci hypothesin, merito reprobandam esse puto; præpri-  
mis cum non sequitur; quod Romani omne Ius græcum adoptauerint, cum xii. Tabb. conderent. Et licet antiqui-  
tatum compilator quidam, a *Schiltero*. 1) allegatus, Lib. VIII.  
Cap. VI. Legem XII. Tab. ipsam recitet, his verbis: *Malie-*

B 3

res



res orbæ inruptæ in fratri agnitiue proximi Tutela sunt: tamen aliunde cognitum est, quanto interpolatarum LL. XII. Tabb. numerus & adhuc circumferatur; ita ut talis lex, quæ non ex probatis auctoribus ut genuini probari potest, pro falsa utique sit habenda, & hoc quoque vitio illa lex laborare mihi videtur. Si autem sit genuina, ex patro Romanorum iure in XII. Tabb. relatam esse, probabilior mihi videtur. 2)


1) Dissertat. ad ff. cit. §. 227 2) Rosini Antiq. Rom. Lib. 8. Cap. 6. qui ex Cicerone & Luiu hanc Legem restituere voluit, quæ loca vero, si penitus inspexeris nihil plane probant. *Guibertus Costanus*, quæst. Iur. memorabil. Lib. 1. Cap. 21.

### §. XII.

Nec simpliciter igitur asserere malum hanc curam non nisi ex XII. Tabb. Romanis innotuisse. Hoc vero non obstat. quo minus statuamus, huius curæ originem LL. XII. Tabb. antiquiorem esse, & nihilominus a Græcis repeti debere. Locus quidem *Liuui* 1) quem pro stabilienda ista sententia allegant, ne verbo quidem Græcorum mentionem facit, licet testetur ibi *Liuui*, maiores Romanorum hanc curam nouisse. Mihi itaque omnino videtur probabile, curam sexus apud Romanos a Græcis profectam esse, tum quia Romani iam ante XII. Tabb. moribus græcis usi sunt 2), tum quia mores Græci cum Romanis exacte conspirant, nec alia ratio huius conuenientiæ in promtu est 3). Ceterum compertum habemus ex *Plutarcho*, 4) quod jam multis retro interiectis annis priusquam LL. XII. Tabb. a Græcis afferebantur hæc sexus tutela, Romæ fuerit cognita, & quod illa, si non a Romulo ipso certissime tamen a Numa rege sit instituta 5). Quicquid itaque sit, hanc curam Romæ non modo cognitam, sed etiam in maximo vigore fuisse, Schilterus sat probatorum auctorum testimonii suffulcus, optime probat 6) ita ut nihil quod valeat, a Schiltero dictis, adiici possit.

1) Lib.

1) Lib. 34. Cap. 2. Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem, agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum; fratrum, virorum. 2) Scipio Maffei in monumentis Etrucis & Latinis. C. 15. 3) Io. Meursii Themis Atticae. libr. 2. c. 9. Otto de perpetua seminar. tutela C. I. 4) In Numa p. 66. 5) Locus Plutarchi hoc diserte approbat inquit enim Τιμᾶς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν ἱερῷς πατέροις, ὃν ἐστι νοῦ τα διαθέσθαι ζώντος ἐξεῖναι πατέρος, νοῦ ταλλακή πρότειν ἀνευ προσώπῳ, διάγνωσας, ὡς περ ἀτρίπταδες; que ad litteram ita vertenda sunt. Honores vero magnos trahit sacrī virginibus, quorum est & testamento facere, vivente existente patre, & alia facere sine tute viventes sicuti tres liberros, habentes. Bene equidem scio, que ab Heineccio ad L. Pap. Popp. Lib. I. Cap. 2. §. 8. & Lib. II. Cap. II. §. 2. atque in Antiq. Lib. I. Tit. 13. §. 16. not. f. contra hæc Plutarchi verba obmota sunt; sed ab omni ratione aliena est eius emendatio verbi ἀπέδωκεν in ἀπέδωκεν per quod euincere intendit hoc Fruilegium Vestalibus concessum non a Numa, sed posterioribus temporibus a Romanis, quia ius trium liberorum ad cuius imitationem inuentum sit, Numa rege multo recentius sit. Quicquid autem dicat Heineccius, Plutarchum tamen neque errasse, prouti Io. Rulando in animaduers. ad Plutarch. V. p. 74. visum, neque hunc locum, emendatione egere, mihi viderur. Imo enim non sine urgentissima necessitate a communi lectione recedendum, & ei insistendum est vsque dum sensum non aliter habere queamus, locus vero noster etiam sine emendatione admissa op̄ime intelligi potest: Illo Hæc emendatio Heinecciana, contextui etiam aduersatur, cum Plutarchus ante & post hæc verba de Numa rege, & non de Romanis ingenero loquatur. III. Heineccius l. c. ad L. Pap. Popp. se ipsum refutare videtur, cum ipse agnouit, soleme esse Plutarcho, hoc modo narrationibus subiungere suis, quæ posteri circa eam rem instituerint; quod simul exemplis pluribus demonstrat. Quæ cum ita sint ad miseram emendationem verbi ἀπέδωκεν (scil. Numa) in ἀπέδωκεν (scil. Romani) recurrentum esse haud puto, cum potius Plutarchi mens sit:



sit: Tribuit Numa Rex Vestalibus ingentes honores, inter quos etiam referendum est, quod omnia sine Tutori, quo omnes feminæ reguntur, facere possint, quemadmodum Plutarchi temporibus, tres liberos habentes, hoc priuilegio vtebantur adeo ut verba *ωσπερ αι τετταδες* non ad Numa tempora sint referenda, sed potius tanquam illustratio ab exemplo Plutarchi temporibus recenter orto & omnibus nota sint adiecta. Quapropter hæc verba Plutarchi ad probationem eius quæ in §. dicta sunt, optime concludunt & testimonium præbent, quod ista cura tempore Numa jam fuerit cognita. In primis error *Heineccii*, inde etiam confelli potest, quod diu ante Augustum Vestales a Cura sexus immunes fuerint. Ita Tarquinia, Sacerdos Vestalis Campum Martium populo romano donauit, teste *Gellio* Lib. 6, c. 7. quod sine auctoritate Curatoris, si quem habuisset, fieri non potuisset. Similiter Minucia Vestalis, cum suspecta esset apud Pontifices, ob cultum justo mundiorem, iussa est, non sacrifac tantum abstinere, sed familiam quoque in potestate habere. *Liuus* Lib. 8. C. II. quam in potestate habere non potuisset, sin ipsa quoque Curatoris imperio obnoxia fuisset. Pluribus id docuit Io. Fried. *Eisenbarth* de Vestalibus & jure Vestaliis §. 21. 6) *Liuus* l. c. Cicero pro Mu-  
rena Cap. 12. Heineccius l. c. §. 16.

### §. XIII.

Ne autem enodationem huius dubii, quemadmodum nimirum dispositiones Romanorum circa curam seminarum, ortæ sint plane intactam relinquam, ea quæ hac de re mihi videntur verosimilia, in medium afferre conabor, contentus ceterum, si in posterum de meliori edoceor.

Sat cognitum itaque, atque exploratum cum sit, quod leges cuiuslibet regionis ad formulam imperii eiusdem, appetata esse debeant & quod quælibet formula imperii, quasi de se ipsa & ex natura sua, certas sanctiones legales producat, quæ vel ex præscripto imperantis, vel ex consuetudine subditorum vtentium deriuant; sequitur per se discrepantiæ aliquam legum ad usum reipublicæ aristocraticæ vel demo-

democraticæ, & ad usum imperii monarchici conditarum esse debere. Cum porro in rebus publicis præcipue democraticis, exacta æqualitas ciuium obseruari debeat, & quodlibet reipublicæ membrum ibidem plus quam alibi ad conservationem totius allaborare debeat, quia certo respectu tanquam coimperans considerandum sit, cum in eiusmodi republica imperium penes omnes collectiue sumtos sit; sequitur iterum quod ad communem finem obtinendum nihil tam necessarium sit, quam exactam æqualitatem cogitationum & idearum inter omnes ciues, de negotiis publicis gerendis conseruare, & perficere, ut singuli, communi quasi instinctu moti, ad unum quoddam obiectum ruant, cum e contrario nihil prater dissidia quotidiana, secessiones, imo & euersio totius corporis politici oriatur, cuius rei etiam historia, præsertim antiquæ nobis testimonia præbent 1).

1) *Montesquieu Esprit des Loix* Liv. III. V, & VII.

S. XIV.

Quibus itaque præmissis, facili negotio concludi poterit, quid de ortu ac progressu doctrinae de seminarum cura apud Romanos sit sentiendum. Abunde enim ex romani scriptoribus, formula imperii romani antiqui constat; si igitur Cl. de Montesquieu 1) sequamur, haud absurdum fore puto, si statuamus, hanc dispositionem circa seminarum tutelam, Romæ obseruantam, ex eiusdem etiam formula imperii ipsa, ortum traxisse. Quilibet enim lubenter concedet, quod in Roma antiqua, ubi quilibet ciuis partem sollicitudinis publicæ habebat & ubi mores admodum rigidi & perpetuis fere bellis gerendis adiuti erant, nihil adeo necessarium fuerit, quam exactam intenditatem judiciorum de rebus gerendis, inter ciues promouere, ut omnes ad unicum communem finem actiones dirigant suas; Quod autem ut obtineatur, nulla lex præceptiva satisfaciet, per ambages itaque ad finem perueniendum est. Maxime ve-

C

ro

ro huc facit, si seminarum semper ad opposita tendentia ingenia in contemtum virorum dederantur; Illæ igitur in publicis rebus gerendis, non modo non admittendæ, verum etiam priuatæ suggestiones & judicia earum quibus viros ad res gerendas destinatos, in opposita vocare queant, ad irritum & ad contemtum virorum redigendæ sunt. Quare ut conditio earum alias libera, limitibus circumscribatur, necesse est. Huic fini obtainendo vero nihil aptius est, quam ut iis negotiis omnibus interdicatur, & ut in classem eorum referantur, qui ob imbecillitatem, rebus superesse nequeunt, & ea propter Tutor vel Curator eis adiungatur. Id quod & Romæ factum esse nouimus.

I) Liv. VII. Cap. 12.

### S. XV.

Imitati sunt igitur hac in re Romani Græcos. Hi enim præsertim Spartani rempublicam plane militarem instituerant, ad cuius normam Romani fere componebantur. Iam cum Spartani feminas ab honoribus excluderint, & perpetuæ Curæ, Obnoxias reddiderint, admodum probabile est, Romanos hoc etiam institutum, ex paritate rationis, in formula imperii fundata, a Græcis deriuasse, in plerisque institutis enim, Romani, Atheniensium & Spartæ instituta publica, in usum vocarunt.

Quomodo denique, & ex quibus rationibus hæc cura apud Romanos iterum desuetudine abolita, & quomodo eapropter SCrum Velleiam, introductum fuerit, eleganter docet THOMASIVS differat, de usu exiguo SCti Vellej. in For. Germ. §. 3.

### S. XVI.


Hæc sunt quæ quoad originem & fontem huius Curæ femineæ apud Romanos e re visum est; sed parum hæc ad institutum conferre videntur, nisi origo eiusdem germanica, ex his liquefcere possit. Leges antiquissimæ germanicæ adhuc superstites, ex omnibus ferme prouinciis testantur, hanc tute-

tutelam perpetuam in vsu viginis & per omnem Germaniam obseruatam pariter fuisse 1). Ne autem frustra de origine eius disquiramus; ad ea principia, quæ de eius ortu apud Romanos (§. 13. sqq.) annotata sunt, recurrentum est, cum nullibi constet, hoc institutum ab exteris esse receptum. Verum quidem est, quod barbaris illis temporibus, in quæ famosa illæ gentium migrationes inciderunt, Germani, vicas gentes inuaserint, nouaque regna atque sedes erexerint, in quas suos mores & consuetudines secum introduxerunt, & peregrinis miscuerunt, quod de Francis, Gothis, Burgundionibus ac Longobardis notum est, 2) quæ gentes vero omnes mutatis sedibus & mores & leges magna ex parte mutabant, tamen cum nunquam reueterentur 3) nihil peregrini juris in Germaniam transtulerunt. Imo testatur Montesquieu 4) eos quod ad nostrum scopum attinet, tutelam feminam in extera regna occupata, quidem apportasse, sed paulo post, mutato regni statu depositisse.

- 1) Schilter Exercitat. ad ff. Exerc. 37. §. 241. 2) Brunquell Hist. Iur. Cap. 2. §. 21. Kopp. Epoch. 2. th. 10. 3) Potiora tamen jura & consuetudines domesticas, in exteris regnis, viæstores reuinuerunt, cum v. c. Longobardi, licet Italiae dominii facti sint, ad hunc usque diem, multa instituta seruarint, Germanicam originem prudentia. Quod & de Burgundionibus, Anglis, cet. dicendum est. conf. Hug. Grotii Commentariolus de jure Germanico, Conring. de Orig. Iur. Germ. cap. 3. sqq. Heinect. Hist. Iur. Cap. I. §. 13, 21, 27, 28. 4) Esprit des Loix. Liv. VII. Cap. 12.

### §. XVII.

Negandum quidem non est, leges Ripuariorum Alemannorum, Bojoariorum, Frisionum, Burgundiorum, Anglorum, Saxonum, Werinorum & Slavorum, ob easdem gentium migrationes, & cum exteris commercium, aliquid peregrini, præcipue romani moris ac consuetudinis contraxisse 1), sed huc sane quod de feminarum tutela ibi dispositum



tum est, non pertinet, cum ea apud Romanos tunc temporis jam in desuetudinem abierat. Hanc ergo tutelam in Germania antiquorem esse saeculo V. ubi nimirum gentium migrationes coepерant, manifesto liquet.

I) *Corring.* cap. 2. *Struu.* hist. Iur. Germ. Cap. 6, §. 2. *Heinecc.*  
hist. Iur. Lib. II, §. 113, 114.  
§. XVIII.

Quare, cum illis antiquis temporibus, Germaniae incolae, in eodem ferme perpetui belli statu, ac prisci Romani vixerint, si excepéris, quod illi initio quidem intestinis magis bellis, & vita rationi aliquantulum duriori, & venatione, modicaque agricultura & pecoribus paseendis dediti vixerint, prouti ex Tacito nouimus. Sane probabile videtur, quod sexus sequior ad mitiora semper declinans, pari ratione, ac apud priscos Romanos factum, aliquo modo in conditionem deteriorem reduceretur & aliquo contemtu, judicia feminarum de rebus publicis gerendis, afficerentur, necesse est. Germanos enim veteres feminas respectu masculorum contempsisse, ob imbecillitatem sive veram sive falsam certum est. Hinc nec digna judicabantur, qua vindictam sumerent. Ita v. c. *Ius Iuticum* (*Jütisches Löwibuch*)<sup>1)</sup> ait, *Fronweckvolk* de leggen unde nemen keine Manbote, wente gelick alse se anemande sick wrecken mögen, so is och andern de Brack wedder en verbdden. Exinde igitur sine dubio de earum perpetua tutela in Germania cogitare coepit est. Alteram hujus rei rationem introductionis vero specialorem, nobis tradit *Estor.* 2) Quando nimirum femina in judicis caussas tractare debebat, & probatio ex more temporum duello erat peragenda, duellum a femina suscipi non poterat regulariter; quare ut defensorem masculum habeat, qui duellum suscipiat, necesse erat. Ita ut postea proscripto judicio duellico, ea feminarum cura tamen remanserit in quibusdam locis,

I) Lib.

- 1) Lib. 2. Cap. 25. 2) in der deutschen Rechtsgelehrtheit,  
Theil 3. §. 981.

§. XIX.

Apparet itaque ex his rationibus sicuti ex ipsis quæ suspensum legibus hanc curam sexus olim in maximo usu viguisse, & non ad iudicia modo negotia, sed etiam ad extrajudicia protensam fuisse, nobis auctor est *Polackius* 1). Per varias tamen temporum fluctuationes ista cura, cum ipsis legibus, in quibus de illa dispositum erat, in aliis terris in desuetudinem abiit, in aliis vero retinebatur, imo etiam ampliabatur, quo præcipue illæ gentes pertinenter, apud quas paucissima circa jurisprudentia antiquæ faciem mutabantur, quibus præcipue Saxones annumerare debemus 2).

- 1) *Iurisprud. Germ. antiq.* Lib. I. cap. 15. §. 3. 2) *Brunquell, Hist. Iur. Part. 4. Cap. 6. §. 3. Conring, I. c. Cap. 13.*

§. XX.

Increvens vero seculo X. & sequentibus ius romanum Iustinianum, quod a pristinis circa curam sexus institutis, plane purgatum erat; juris patrii amatores eo vertit, ut jura indigena, in moribus utentium, & sine scriptis existentia, colligerent, atque in scripturam referrent 1) & hoc quoque modo cura sexus inter alia conseruabatur, cum speculis, Saxonico pariter ac Alemanno nec non plurimis statutis urbium, ab eo tempore confectis inserebatur 2).

- 1) *Conring de orig. Iur. Germ. Cap. 26. & 27. Bæhmer Ius Eccl. protest. Lib. I. Tit. 2. §. 48. Heinec, Hist. Iur. L. 2. Cap. 2. §. 50. 55. 63. 2) De origine statutorum vid. Riccius von Stadtgeschen L. I. Cap. I. §. 3. sqq.*

§. XXI.

Ex his itaque dictis, origo illorum morum & consuetudinum, quæ deinde legalem auctoritatem obtinuerunt repeti debet. Nec improbat videtur, seminarum curam, ex pristinis Saxonum ac Thuringorum consuetudinibus, & antiqua vita ratione, cum per tractum saeculorum conserua-

ta esset & in speculum Saxonicum receptam, & in antiquissima ciuitate Erfordiens, ab eius origine, vsque ad condita quæ supersunt statuta antiquissima, sine scriptis obseruatam esse, donec Anno 1306. primæ limitationes circa eam, de quibus infra erit dicendi locus, addebantur, donec tractu temporis, consuetudo desuetudine vicia, plane exoleuit,

§. XXII.

Nec sunt quidem Saxones soli, qui vetustas illas, circa Cura femineam, consuetudines retinuerunt; permanxit enim hæc Cura fere in omnibus illis regionibus, vbi speculum Saxonicum recipiebatur 1) sed & in aliis regionibus, quæ hoc speculum nunquam agnouerunt, veluti in terris Iuris Lubecensis conseruata est 2). Ne autem justo latius excurrat, gradum apud Saxones sistere, eorumque dispositiones circa curam feminarum, quatenus ad declarationem antiqui Iuris Erfordiensis, aliquid conferre possunt percurram, atque denum quid hac de re huius loci obtinuerit afferam, hocque modo differentias enodare ac detegere operam nauabo.

1) *Siruu.* Histor. Iur. Cap. 6. §. 23. 2) *Meu.* ad Ius Lubec. L. I. Tit. 7. Art. 5. N°. 7.

## CAPVT II.

### DE DISPOSITIONIBVS IVRIS SAXONICI CIRCA CVRAM FEMINARVM.

#### SECTIO I.

##### DE HVIVS CVRAE INTRODVCTAE NOTIONE ET DIVISIONIBVS.

§. XXIII.

**P**rimo loco hic, vt annotetur tractatio requirit, nos non loqui de curatore feminarum, prout eum Ius Saxonum Electorale sifit, sed solummodo ius Saxonicum com-  
mu-

mune 1) hic suppositum est. Illud enim tanquam nouior lex, varia immutauit; quorsum pertinet inter alia, quod I. S. Electorale hanc curam quoad virgines & viduas, ad extra judicialia negotia etiam extendat; adeo ut omnia sine curatore gesta, sint irrita, & ea tantum valeant negotia, quæ circa res mobiles suscipiuntur 2). Cum contra I. S. Commune in negotiis solum judicialibus, curatoris adhibitionem requirat, 3) virginibus & viduis vero quoad extra judicialia, agendi libertatem relinquat, salua tamen si lœsa sint restituzione in integrum 4). Coincidunt tamen hæc iura quoad mulieres maritatas, quæ consensu maritorum ubique ad negotia sua indigent.

- 1) de quo videoes egregium Libellum: *Ius Saxonicum discrepans, he. differentia Iuris Saxon. Electoralis & communis. Frf. 1682.* 2) *Struu. Exercitat. 31. §. 94.* ibique *Petr. Muller not. i.* 3) *I. P. S. Lib. I. Art. 45. Reinbarth de femina Saxon. negotiis, absque Curatore validis §. 27.* 4) *Thomashus de usu exiguo Scti Vellej. in for. Germ. §. 2.*

#### §. XXIV.

Descriptionem huius Curatoris ex mente Saxonum, inuenies apud *Leyserum* 1) vi cuius ille est persona, auctoritate publica constituta, ut mulieri in judicio agenti, vel etiam (Si ea in matrimonio viuit) extra judicium negotianti, ope & consilio adiutor, consensum suum præbeat, & autoritatem suam interponat actibus. Diuiduntur autem curatores seminarum in *legitimos & confirmatos*. Legitimi vocantur etiam *rechte Wormünder*, & sunt vel maritus ratione vxoris, vel proximi agnati 2). Confirmati sunt, qui a magistratu competente potestatem acceperunt, ad negotia feminæ consentiendi & autoritatis interpositione validitatem illis conciliandi. Et hi quidem vel constituuntur *generaliter*, ad omnia indistincte negotia præsentia & futura vel *specialiter* ad certum & determinatum actum siue caussam in judi-

judicio pertractandam 3). De singulis sigillatim dispiciemus.

- 1) De Curatore mulieris Saxonico Cap. I. Th. 8. 2) I. P. S. Lib. I. Art. 46, ibique Gloss. sub voce *ihr rechter Vor mund*. 3) I. P. S. Lib. I. Art. 47.

### §. XXV.

Cura sextus legitima itaque maxime per maritum absolvitur, cui hoc jus ex more Saxonum, 1) diserte tribuitur, simulac thorum coniugalem concendit. Hoc facto, in negotiis feminæ etiam extrajudicialibus 2) mariti consensus ad validitatem conciliandam necessarius est; nec regulariter alio insuper curatore ad sua negotia vxor indiget. Cuius rei rationem *Carpzouius* 3) *Berlichius* 4) aliquie Saxones, ex §. 5. Institut. de Curat. desumere volunt, vbi dispositum quod tutorem habenti, tutor non detur, qua de re colligunt, quod mulier stante matrimonio, alium curatorem sibi eligere non possit. Conclusionis huius veritatem & utrum ad mentem I. P. S. procedat, jam non indubium vocamus, cum non de J. Sax. Elect. 5) sed de communii, nobis sit sermo. Sed falsa, vt mihi videtur, supposita ratione illa conclusio elicetur. Quid enim quæso, instituta germanica cum jure peregrino commune habent, vt exinde rationes legum domesticarum desumi possint? Vtraque potius jura ita diserepant, vt idem sit summa imis miscere, ac si hæc miscere velis. Sat etiam deplorandi effectus, ex hac confusione, sacculo anteriori visitatissima euenerunt, vt hæc negligia recentiores juri DD. adhuc terreat, & vbique nos moneant, rationes legum germanicarum ex genuinis & propriis fontibus haurire.

- 1) I. P. S. Lib. I. Art. 45. & Lib. 3. Art. 45. in medio. 2) I. P. S. Lib. I. Art. 45. verbis: Ein Weib mag auch ohn ihres Mannes Urlaub iher Guth nicht vergeben ic. 3) Part. 2. Conf. 15. def. 12. n. 4. 4) Part. 2. Concl. 17. n. 10. Iure Saxon.

xon. Elect. enim, omnino vxor eligere potest alium curatorem.

Lünig Codex Augusteus Tom. I. pag. 1130.

S. XXVI.

Quod igitur ad genuinam huius rei rationem detegendam attinet, eam ex moribus & consuetudinibus, per Germaniam vniuersam olim obseruatis dilucide satis enodari posse arbitror. Notum est enim vetere Iure germanico, nuptias interueniente pacto, inter sponsum, sponsaque parentes, & subsecuta traditione fuisse celebratas, vi cuius, maritus peculiare jus in personam sponsa, sive vxoris, oneroso titulo acquirebat. Ex Longobardorum & Saxonum, aliarumque Germania Gentium antiquissimarum legibus superstibus ac consuetudinibus, dilucide satis hoc probari potest, videamus solum, quæ de Saxonibus supersunt testimonia. Ex eorum lege antiqua, clarissime hæc eluescunt; dicitur ibi 1) sub rubrica DE CONIVGNI: *Vxorem ducturus CCC. solidos det parentibus eius: & alio loco 2): qui viduam ducere vult, offerat tutori precium emtionis eius, consentientibus adhuc propinquis eius.* Quæ verba si attento animo intuearis, sane probant, marito tale jus in vxorem competuisse, quod etiam ad heredes transmittebat. Tutor enim, cui *premium emtionis eius* (vxoris) offerri debebat 3) erat secundum eandem legem Saxonum Tit. VII. ex familia & heredibus mariti, eiusque proximus agnatus; verba ibi sonant: *qui mortuus viduam reliquerit, tutelam eius filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat:* Si is forte defuerit, qui frater est defuncti: si frater non fuerit, proximus paterni generis vel eius consanguineus. Nihil igitur dubii subest, quin statuamus, rationem genuinam instituti eius de quo loquimur, ex his magis, quam aliunde esse petendam. Si enim per supra dicta verum est, marito tale jus in vxorem perfectum competere quod dominio proxime accedit: Si enim hoc non esset, emtionis vocabulo, quod semper translationem domi-

nii iouoluit, non vñ fuissent, istarum legum compilatores; sequitur, vt imperio & directioni mariti vxor solitarie fuerit subiecta; si itaque & hoc verum est, apparet porro, omnia ab vxore gerenda, pariter etiam a voluntate & directione mariti dependisse, & ab huius voluntate ac autoritate, consensuque interponendo validitatem accepisse; qui enim mihi solitarie subiectus est, de eius negotiis ego etiam solus disponere possum. Quapropter jus mariti laederetur, si in negotiis ab vxore curandis alias adiungeretur, qui consensus & auctoritatis suæ interpositione, firmitatem iisdem conciliaret; & feminæ aliquid adderetur, quod in persona mariti jam adest, frustraneus itaque actus committeretur.

1) *Lex Saxon. Cap. VI.* 2) *Lex Saxon. Cap. VII. §. 3.* 3) *Gundling de emtione vxorum, dote & morgengaba.*

### §. XXVII.

Et hæc, prout ex his legibus deducta sunt, fuere principia veterum Germanorum genuina; qua licet, cum conficeretur I. P. S. jam ad desuetudinem vergerent simul, cum lege Saxonum, tamen tam diu, quam consuetudines & mores obseruabantur, & a Repkouio in suam compilationem consuetudinum, nimirum I. P. Sax. in Artic. alleg. receptæ sunt. Non quidem integræ ac in toto suo vigore, medio enim tempore inter legem Saxonum & I. P. S. conditum, multum rigoris legi antiquæ Saxonum detracsum erat, vt quæ ex ea adhuc obseruabantur, mitiori aliquantulum specie apparebant 1) hocque etiam experta est illa de qua locuti sumus potestas maritalis, quæ a suo rigore, in eam quomodo I. P. S. exhibetur curam legitimam mutata fuit, cuius itaque rationem genuinam a suis incunabulis hæc modo repeti debere arbitrор.

1) Sic illa Legis Saxonum dispositio quam supra allegauimus, cum in Art. 45. Lib. I. I. P. S. recipiebatur adeo murata est, vt potestatem in personam vxoris valde restringat & verba sunt: Ein Weib mag auch ohne ihres Mannes Urlaub ihr Guth nicht verge-

vergeben noch ihr eigen verkauffen noch ihr Leibgeding auslaßser, um das, daß er mit ihr in der Gewehr sitzt.

§. XXVIII.

Multum me mouet etiam ad hoc quod §§. præced. dictum est, statuendum, quod etiam tutela viduarum (§. 26.) proximo agnato defuncti mariti competens, ex lege Saxorum antiqua etiam in I. P. S. sit recepta 1), adeo ut sibi quisque persuadere possit vnum cum altero, etiam extincto vsu legis saxorum obseruatum, & ita in I. P. S. denuo collatum fuisse.

- 1) Lib. I. Art. 23. Er ist auch (der Söhne ältester ebenbürtiger Schwerdmag) der Witwen, oder des Kindes Mutter Vormund, bis daß sie einen Mann nimpt.

§. XXIX.


Exceptiones ab hac regula generali, quod nimirum vxor præter maritum, alio curatore non indigeat; Iure Saxonico antiquo nullæ fere deprehendi possunt, quod haud dubie ex ambitu lato rationis eius §. 26. allatae consequitur. Quod igitur hodie variatum esse vidimus, ex I. Sax. electoriali, plerumque descendit & ex nouis rationibus additum esse videtur. Quo etiam inter alia pertinet, quod ex male facta applicatione juris romani, marito hac cura in vxorem plane ferme extorta sit per hoc, quod Saxones hodie illos, non prius in vlo negotio pro vxore admittant, quam judicialiter sint constituti, Curatorioque muniti compareant vel cautionem de rato faciant 1). Genuina tamen & ex rationibus antiquis fluens exceptio est, & vxori præter maritum curator dari debet in casu, si maritus & vxor ut separata personæ, sine respectu ad Iura familiae seu jura maritalia habito, considerantur, & utilitas mariti cum damno heredum vxoris ab intestato sub negotio versatur 2).

- 1) Estors deutsche Rechtsgeschicht Part. 3. §. 981. 2) Excepta tamen est vxor mercatrix, ob fauorem commerciorum de qua infra §.

D 2

§. XXX.





## §. XXX.

Huc itaque pertinet, si vxor cum marito contrahit. e. g. ratione proprietatis eorum bonorum, quorum intuitu maritus solummodo est usufructuarius 1). Quin vero extra causas a legibus expresse prohibitos, coniuges inter se iure german. antiquo, positis terminis habilibus, ac concurrente heredum consensu, contractus celebrare potuerint, nemo est qui ambigat, cum hoc nullibi prohibitum reperiatur, nec a particulari ad universale consequentia valeat.

Non sufficit porro auctoritas mariti eiusque consensus, si vxor de hereditate transfigat 2) & certam pro incerta summa accipere velit. Cuius rei ratio mihi videtur, ne maritus alio modo occasionem inueniat suum lucrum sub hoc negotio promouendi, cum damno legitimorum vxoris heredum qui immobilia in hereditate de qua transfigitur, forte existentia, mortua muliere capiunt; maritus vero ut heres mobilis, hoc ita euitet vxore inducta, ut mobilia loco immobilium per transactionem sumat, & heredes vxoris hoc modo frustretur seque ita solitarium vxoris heredem efficiat.

*Carpzon. Part. 2. Const. 15. def. 23. 2) idem l. c. def. 22.*

## §. XXXI.

Altera Curatoris legitimi species ex legibus germanicis antiquis est *vidua* defuncti mariti proximus agnatus, si progenie sit aequalis cum *vidua* 1). Si vero progenie sit inaequalis, ex jure Prov. Saxon. recidit vxor per obitum mariti in curam legitimam *suorum agnitorum*, 2). Praterea etiam in legitima cura viuunt *virgines*, quibus pariter proximus agnatus earum nimirum frater, vel hoc deficiente, proximus quilibet paterni generis, a legibus germanicis in Curatorem erat constitutus. *Schilterus* 3) hoc ex vetere lege Saxonum Tit. VII. S. 4. afferit, & vestigia eius etiam in I. P. S. 4) comprehendens. Superstes insuper haec dispositio in quibusdam antiquis statutis remansit, prout *Menius* 5) exemplo statutorum

Ham-

Hamburgensium euincit; vbi disponitur: *Nuptæ sunt in tute-la mariti, reliqui tutores seu curatores sunt proximi agnati, aut quos magistratus dat.*

Ne autem justo latius excurrat de hac re monuisse solummodo, sufficiat, præsertim cum nullum in Saxonis usum præbeat, & in omnibus effectibus cum cura datur coincidat, & ipsa viduarum curatela de qua loquitus sum, magis in arbitrio viduæ posita fuisse videtur, quam in necessitate legis 6).

- 1) Hoc enim innuit Art. 23. Lib. I. I. P. S. per verba: Wo die Söhne binnen iren Jahren sein ir ältester ebenbürtiger schwedmag nimpt das heergewet alles zu sich und ist der Kinder Vor mund . . . . . Er ist auch der Witwen oder des Kindes Mutter Vormund, bis daß sie einen Man nimpt, ob er ihr ebenbürtig ist.
- 2) Jur. Sax. enim vxor per mortem mariti eius dignitatem amitterebat quod innuit Art. 45. I. P. S. in verb. Wenn er aber stirbt: so ist sie ledig von seinen Rechten, und behält dann ihr selbst Recht nach ihrer Geburth, und darum muß auch ihr Vormund seyn ihre nächster ebenbürtiger Schwerdmag, und nicht ihres Mannes.
- 3) Exercitat. 37. §. 241.
- 4) Lib. I. Art. 43. vbi ordinatum est in casu, wo die Klage zu Kampf gehet: so muß oder mag wohl ir Vormund seyn ein iglicher der ihr ebenbürtiger Schwerdmag ist.
- 5) ad Ius Lubeck. L. I. Tit. 7. Art. 4 n. 8.
- 6) Addit enim Gl. germ. ad Art. 23. Lib. I. J. P. S. voce: Er ist auch der Witwen Vormund: declaracionem: ob sie selbst auch solches haben will.

### §. XXXII.

Antequam autem de daturia cura disquiramus, de testamenteria hic erit dicendi locus. Ius antiquum germanicum, testamenta quidem plane ignorat, & Tacitus refert 1): *He- redes successoresque sui cuique liberi: & nullum testamentum. Si liberi non sunt: proximus gradus in possessione, fratres, patrui, auunculi.* Uſus igitur testamentorum in germania non prius inualuit, quam innotescente religione Christiana & jure romano. Qua de re etiam præcepta juris romani hac in ma-

teria vbius fere obseruari animaduertes 2). Natales testam  
entorum germanici ergo, ad medium & utrum referri debent,  
vbi eorum vestigia in uno territorio detegimus, in alio vero  
nihil plane aut parum hac de re deprehendimus. Saxones  
præsertim ut postremos notat Schilter 3) quibus testamento  
rum usus innouuit. Quicquid autem hoc sit, tamen nihil  
vnquam in eorum legibus antiquis de eiusmodi instituto in  
uenies, cum tamen I. P. Alem. his materiis testamentariis sit  
refertum. Quid igitur de hac curatela testamentaria, secun  
dum ius germanicum medium sit sentiendum facile liquet;  
ius Lubecense 4) tamen hoc singulare habet statutum, dis  
ponens, curæ datiuæ non prius locum esse, quam testamen  
taria non existente 5).

- 1) De morib. Germ. Cap. 20. 2) *de Selchow Elem. Iur. Germ.*  
Lib. 4. Cap. 2. Sect. 2. Tit. 1. §. 640. sqq. 3) Exercitat.  
II. §. 14. Schilteri tamen opinio diplomaticis facile confelli  
potest. Ut alia taceam, exstat in bibliotheca *Generossif. de Selchow*  
Codex M. S. testamenta plus mille continens, ex Saeculis XII,  
XIII & XIV. ex sola saxonica superiori & inferiori collecta,  
quem cum Göttingæ versarer, ipse inspexi. 4) Lib. I. Tit. 7.  
Art. 4. verba sunt: Stirbet jemand der seinen Kindern und Ehe  
frauen keine Wormunden gibt . . . . stehet dem Rathé zu die  
selben zu geben. 5) *Meu. ad Ius Lub. I. c. n. 15. sqq.*

§. XXXIII.

Ad curam datiuam potius igitur nos conuertimus, quæ  
ab antiquo in Germania tanquam potissima species fuit ob  
seruata. Ordinauerat jam lege Longobardorum 1) Rex Ro  
tharis circa annum 640. post C. N. nulli mulieri liberae, sub re  
gni nostri ditione, lege Longobardorum viuenti, liceat in suæ pore  
statis arbitrio, id est, sine mundo vivere. Mundum autem erat  
tutela muliebris. Longobardos vero, originis Saxonica  
fuisse, jam aliunde constat, quare & hoc apud Saxones ob  
tinuisse non dubito, 2) præcipue cum I. P. S. illa dispositio  
sit confirmata, ybi nonsolum feminae indistincte curæ subie  
ctæ

ct̄x sunt, sed etiam vt iis, si curatoribus deslitutæ sunt, curatores dari debeant, si negotia judicialia peragenda iis incumbunt, constituit I. P. S. 3) vbi verba *In nothhaftigen Klagen, do sie nicht zu Kampf gehen, mag der Richter wol Vormunden geben, und in allen handhaften thaten, do sie ires rechten Vormunden nicht haben mögen zur Hand:* & alio loco 4) *zu der Klag sol sie das Gericht bevormunden &c.* Nec non 5) *Es mag kein Weib Vorsprech seyn, noch ohne Vormunden klagen.* Apparet igitur ex his, hanc curam in potestate, a Magistratu competente concessa, in negotia mulieris consentiendi & ad validitatem iis conciliandam auctoritatem interponendi, confistere.

- 1) l. 1. Tit. 10. Lib. 2. 2) *Schilter Exercitat.* 10. §. 20.  
 3) Lib. 1. Art. 43. 4) I. P. S. l. c. Art. 44. 5) I. P. S. Lib. 2. Art. 63.

#### S. XXXIV.

Sed horum curatorum constitutorum duplex conditio est. Sunt enim quidam, qui dantur generaliter, ad omnes & quascunque caussas, tam præsentes quam futuras, vel etiam ad unam tantum caussam mulieri dantur; Qua de re Curatores illi vel in *generales* vel in *speciales*, pro ratione obiecti dividuntur. *Specialis* igitur curator est, de quo loquitur I. P. S. 1) in verbis: *Denn sein Vormundschaft wehrt nicht länger, als das Gericht und die Sache mehrt.* De generali curatore vero in I. P. S. expresse nihil deprehenditur, sed ea quæ de eo loqui videntur, semper ad curatorem legitimum, (*den rechten Vormund*) referenda sunt. Ex analogia igitur a curatoribus minorum desumptum mihi videtur 2) quod in Glossa latina I. P. S. de curatore generali dativo prohibetur. Pro curatore generali autem habetur is, qui *simpliciter* datur, simpliciter enim datus, ad omnes lites datus censetur. 3) Ratio diuersitatis autem horum inter se curatorum, maxime in eo sita est, quod ille, qui generaliter constituitur, ab eo judice dari debeat, cuius jurisdictioni femina, ratione domi-

cifii est subiecta; specialiter autem datus ab eo judice constituitur, coram quo lis vel negotium pertractandum est.<sup>4)</sup> Animaduertas tamen velim, curatorem generaliter constitutum, non obstante generali constitutione, nihilominus in singulis actibus ac negotiis, denuo specialiter constitui, & confirmari debere<sup>5).</sup> Ast noli mirari istam, a D. D. præprimis fabricatam consuetudinem: ratio eius enim, ea quæ mihi videtur subiacere, rem detegit; Quoniam enim in I. P. S. nihil de cura generali occurrit, & illa præcipue ex analogia, siue potius confusione quadam a curatoribus minorum deducitur, imo potius generalitati, ut ita loquar, I. P. S. sese opponere & contradicere videtur;<sup>6)</sup> ea ex re igitur curam illam generalem legibus accommodare hoc modo annisi sint Icti, ex quibus denique isliusmodi conclusiones atque limitationes ortum traxere. Caueas igitur, curam generalem datiuam, pro genuina, siue pro instituto, ex rationibus antiquis germanicis fluente habeas, cum ibi nulla alia cura generalis nisi legitima (die rech. te Wormundschafft) occurrat, & datiuia generalis merum sit figmentum D. D. recentioribus vero temporibus approbatum.

- 1) Lib. 1. Art. 47. 2) Carpzov. P. 2. Conf. 15. def. 29. No. 6. 3) Glosf. lat. ad. Art. 47. Lib. 1. I. P. S. 4) Berlich L. 2. Concl. 18. n. 3. sqq. Carpz. l. c. def. 26. & 27. 5) Berlich. l. c. n. 4. 6) præfertim Lib. 1. Art. 47. circa finem,

## SECTIO II.

### DE DISPOSITIONIBVS IVRIS SAXONICI CIRCA PERSONAS AD CVRAM CONCVRRENTES.


#### TIT. I.

### DE DISPOSITIONIBVS IVRIS SAXONICI CIRCA PERSONAS CVRAE SVBIECTAS VEL EXEMTAS.

§. XXXV.

Dictum jam supra est, omnes æqualiter feminas maiores, siue sint virgines, siue viduæ, siue in matrimonio vita

vitam degant, curæ isti esse subiectas; & hoc ex legibus su-  
 pra allegatis, imo ex ipsa rei notorietate, jam extra omnem  
 est controversiam. Qua de re actum ageretur, si hoc loco  
 latius inquirendo, ea recoquere vellem, quæ passim a D.D.  
 præclare jam sunt enodata: obseruationem tamen subnectere  
 iuuabit. Perhibetur nimirum a D.D., quod mulier tutrix  
 liberorum suorum, 1) in iis negotiis, quæ ab illa tutorio nomi-  
 ne perfici debent, curatoris sexus, sibi constituti, consen-  
 sum & autoritatem adhibere debeat, licet ex peculiaribus  
 rationibus, infra allegandis, permisum sit illi, sine curatoris  
 autoritate tutelam suscipere 2). Sed vnde hæc diuersitas  
 sit orta, disquisitionem meo quidem judicio meretur. Ra-  
 tio huius dispositionis itaque, in confusione juriū Saxo-  
 niæ & a vicinis & peregrinis adscitorum juriū, tempore  
 Repkouii orta, latere mihi videtur. Notum est enim tute-  
 lam maternam, Saxonibus antiquis, plane fuisse incognitam;  
 extant enim in lege Saxonum dispositiones, contrarium pla-  
 ne innuentes, & ordinatur ibi 3): *Qui defunctus non filios sed*  
*filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat; tutela vero ea-*  
*rum fratri (patruo) vel proximo paterni generis deputetur.* Si  
 vidua filiam habens nupserit, filiumque generit, tutela filia ad fi-  
 lium, quem tunc generat, maiorenem factum (pertineat) a pa-  
 truo ablata 4). Ex quibus igitur verosimilius videtur, tute-  
 lam maternam in Saxonia non prius innotuisse, quam jus  
 romanum ibi inualuit, & ex hoc inuito, & originem forsan  
 ignorante Repkouio, tanquam patrium institutum, cum aliis  
 etiam peregrinæ aut romanæ originis, in suam I. P. S. |com-  
 pilationem irrepsisse. Fieri vero etiam potuit, vt illa ma-  
 terna tutela a Saxonum vicinis, quibus jam olim in vsu fue-  
 rat 5) ad eos sit translata. Quicquid autem hoc sit, tamen  
 animaduerterunt ipsi Saxones, eiusmodi institutum peregrini-  
 num, moribus suis parum conuenire, qua propter ICti, Rep-  
 kouio recentiores, hanc admissam confusionem, limitatio-



nibus variis sanare periculum fecerunt. Quo igitur pertinent verba Glossæ 6) Es mag ein Weib wohl Vormund seyn, aufm Fall, niemand anders von Schwerthalben dazu gehobhen, oder keiner des Orths wohnhaftig, oder auch das Kind vielleicht unehlig gehobhen ist; Et porro verba Glossæ latiæ 7): Sednihil obstante secundum communem usum nihilominus, mulieribus tutela liberorum suorum, qui adhuc infantes sunt permititur usque ad triennium. Item aliorum impuberum, proximis tamen agnatis simul adhibitis. Aliæ enim solidæ rationes harum limitacionum mihi quidem non apparent, quam quod ICti leges peregrinas receptas, ad domestica instituta hoc modo aptare voluerint. Quod autem ad nostrum scopum attinet: eiusmodi etiam limitatio est, mulieres tutrices, tutorio nomine agentes, autoritate insuper consensuque curatoris sexus indigere, cum Ius Sax. generaliter vetaret, nullam feminam sine curatore negotia pertractare posse 8).

1) Quod vi Art. II. Lib. I. J. P. S. esse potest: add. Gloss. germ. ad art. alleg. sub voce; dasselbig soll das Weib ic. 2) Berlich Part. 2. Concl. 17. n. 60. sqq. 3) Tit. 8. §. 4. 4) Schiller Exercit. 37. §. 50. qua de re etiam Gloss. lat. sub b. ad text. germ. J. P. S. Art. 23. lib. I. innuit. *Nec enim per totum jus Saxonicum reperitur, quod mulier tutæ officio fungi possit, quemadmodum illis permisum est jure communi.* 5) Ludewig different. Iur. Rom. & german. in tutelis maternis differ. I. lit. bb. 6) Gloss. germ. vltima ad J. P. S. Lib. I. Art. II. 7) ad Art. 23. Lib. I. J. P. S. 8) per ea que supra tradita sunt.

### §. XXXVI.

Cura subiectæ sunt porro mulieres, in territorio vitam degentes, vbi illis libere & secundum jus commune, in judiciis experiri permisum est, ita ut ad hoc Curatore non indigeant, quæ vero si in judicio Saxonico negotia suscipere volunt, curatorem utique adhibere debent, & sine eo non admitti possunt. Procedit hoc ex ipsa rei natura atque cum æquitate concordat, cum recta ratio nos doceat validitatem

actus

actus diiudicari debere, secundum regulas loci in' quo actus perficiendus est 1)

1) conf. *Carpzov Respons.* Lib. III. Resp. 13. *idem Part.* 2. *Const.* 15. *Def.* 6. n. 10. *Berlich P.* 2. *Concl.* 17. n. 55.

S. XXXVII.

Habet denique generalis illa constitutio, quæ omnes pariter feminas curæ subiicit suas exceptiones, ratione qualitatis personæ curandæ introductas, quarum potiores ordine nunc ut recensemamus instituti exigit ratio.

Primo igitur loco inter feminas, quæ a necessitate illa curatores negotiis suis adhibendi, DD. consensu liberæ sunt, referuntur *feminae illustres* 1). Deducitur hoc, quod & adhuc hodie obtinet jus, ex *Gloss.* ord. ad Art. 63. Lib. 2. J. P. S. 2) ubi hoc receptum inuenitur a *Glossatore*. At hoc loco nihil expreſſe de illustri femina dictum esse videtur. Quapropter ut de re clarius pateat, quæ nam femina illustris fuerit, prius est disquirendum. Habetur autem pro femina illustri testante *Carpzonio*, quæ territoria habet cum superioritate & regalibus, nimirum ducissa, principissa, comitissa, abbatissa &c. Ad nobiles itaque feminas, neutiquam est extendendum, quod de femina illustri perhibetur, licet illa sit domina prædii nobilis ac prouincialis (die ein Guth mit den Gerichten hat). Nec mihi obstat autoritas *Ludouici* 3) qui & nobiles hoc jure vfas fuisse contendit, sed sine ratione. Non enim mihi persuadere possum, hoc quod de feminis illustribus habetur jus, esse secundum originem germanicum: Nullibi enim in legibus germanicis antiquissimis eius vestigia mihi deprehendere liquit, nec illustres antiqui territoria habebant, nec jurisdictionem proprio nomine exercebant. Seculo vero XII & XIII, hoc mihi videtur inualuisse cum jure Iustinianeo, & cum aliis dispositionibus quæ ibi de persona Augustæ reperiuntur, aucto recipiebatur. Eius temporis principes enim maximo nisu ad superioritatem territorialem consequendam laborabant;

E 3

auide



aude igitur arripiebant omnia, & præprimis cum jus romanum personæ Augustæ plura tribueret, ad principissas familiiasque illustrium, tanquam nouis superioritatis color applicabantur eiusmodi peregrina. Quo factum vero est, ut hoc de quo loquimur jus, tempore Repkouii forsan adhuc incognitum, Glossatori eius innotuerit, & ab eo quoque J. P. S. strenue adiiceretur. Quid igitur de *Ludouici* supra allegato assertō sentiendum sit, nunc plene apparet; ad nobiles enim receputum jus romanum, de persona Augustæ disponens, neutram applicari poterat. Concedamus quoque, eum nullibi diplomata nobilium inuenisse, qui Curatoris adhibiti mentionem faciant: Quid enim obstat, quominus alii, eiusmodi Diplomata inuenient? Et porro notissimum est: jure antiquo Saxonum ad extrajudicialia curatore non opus fuisse; non vero docet *Ludouicus* se nullum diploma inuenisse, de litibus judicialibus testans, quod nobiles curatorem non adhibuerint. Qua de re eius auctoritas nihil efficere potest, nec quicquam eius assertum probat, præter hoc notissimum, feminas ad negotia extrajudicialia, de quibus vt plurimum Diplomata quæ superfluit agunt, curatorem non adhibuisse.

1) Bertich P. 2. Concl. 17. n. 79. Carpz. P. 2. Const. 15. def. 9. 2) vbi sub verbis: Es magis dicitur, doch sind sechs Sachen, darinnen die Weiber wohl mögen eines andern Wort reden. Die erste ist, so es eine von Amts wegen thäte, als ob ein Weib eine Aptissin wäre: 2c. 3) Opuscula Tom. I. Lib. 3. Opusc. 4. different 13. not. mm. vbi differit se in Diplomatibus medii ævi, in quibus feminæ principes ac nobiles contraxerunt, nequidem vnius meminisse, vbi femina maiorenxis innupta vel vidua, consensus sui curatoris vel semel fecerit mentionem.

### S. XXXVIII.

Ex his itaque apparet; vera quidem esse ea, quæ DD. pro ratione huius juris, illustribus feminis competentis, allestant; nimirum quod hæ feminæ negotia virilia etiam sustinere possint, vt puta pro tribunali sedere jus dicere, arbitri

offi-

officium suscipere, & munus legationis obire 1): Quod etiam extra curatores constilio non destituantur, quoniam suos consiliarios semper a latere habeant, qui ope & suffragio eis subvenire summaque industria & fide causas pertractare soleant 2), & quæ eiusmodi farinæ reliqua sunt, quapropter curatore sexus ipsis opus haud sit; sed superuacanea plane. Cum enim verum est, ex iure romano hoc institutum, ob rationes supra allatas, nimirum ad stabiliendam superioritatem territorialem, desumptum esse, apparet liquido, de reliquis rationibus non anxie disquiri debere, & hoc modo ex hac ratione introductionis, huius rei vera facies restitui posse. Constat tamen indubia diplomatum fide, feminis illustribus, curatorem sexus sàpissime datum esse, quod ad confutandam Ludewigii hypothesin eleganter probauit Car. Friedr. Walch in diff. Cura sexus illustr. ex Legibus chartis publicis eruta §. 12. 3)

Carpz. P. 2. Const. 15. def. 9. 2) Rurg. Roland de Commissar. P. I. Lib. I. Cap. 29. Ludouici Opusc. l. c. not. mm. 3) Plura dedit Io. Ferd. Wilh. de Neuman de patria potestate & tutela principum. Lib. 2. t. 15. p. 380. sqq.

### §. XXXIX.

Excipiunt porro ab hac necessitate curatorem negotiis adhibendi *seminam mercatricem* 1). Nihil quidem de illa in J. P. S. deprehendes & quod ad Saxones attinet, solummodo in J. S. Electorali ciùs sit mentio; qua propter istius rei translationem ab instituto alienam reputare potuisses: sed non obstante, quod J. P. S. hac de re taceat, quod ideo factum, quia commercia apud Saxones serius floruerunt, in iis tamen prouinciis, quæ medio jam auo mercaturæ operam dederunt, huius rei vestigia detegere licebit 2). Qua de re, etiam hoc vetus esse institutum, atque genuinam juris germanici exceptionem, certissimum est. Quod autem ad Scopum attinet, feminam mercatricem ad verba & mentem juris Lubencensis describendam esse putauit, dicitur ibi: Eine Kauffrau aber ist, welche aus: und einkauft, offene Läden und Fenster hält,



mit Gewicht, Wage, Maß und Ellen, aus: und einwieget und misset. His requisitis igitur simul existentibus, mulier est mercatrix. Insuper autem requiritur, vt ea omnia proprio siant nomine: vbiunque enim statutum mercatoris meminit, intelligendum est de eo, qui suo nomine negotiatur 3). Non autem præcise requiritur, vt femina ipsa actus peragat mercatorios, sed etiam peralios veluti institores, mercari potest. Si quoque in loco isto, vbi hæc femina viuit, collegia mercatorum (Kaufmans Gülden) deprehenduntur, vt ibi sit immatriculata necesse est; eiusmodi enim collegii in ciuitate introductis, nemo nisi ibi receptus ad mercaturam admittitur 4) & consequenter mercator non est, nec privilegii particeps fieri potest, qui publico albo nomen non inferendum curauit. Requiritur porro, vt nonsolum emat, sed etiam, vt emta iterum in eadem specie vendat, qua de re is, qui emit, quod vñ suo consumit, aut opus ex mercibus emitis conficit, nequaquam mercatur. Sin vero dubium oriatur, vtrum quæ sit mercatrix, veluti, si de plurimis aëribus, quibus mercatura exercetur non constat, vñus enim actus non sufficit, arbitrio judicis relinquendum esse putant, num femina sit mercatrix nec ne 5). Nil refert vero an femina sit sub potestate maritali an sit innupta 6).

- 1) Carpz. P. 2. Const. 15. def. 16. Berlich Part. 2. Concl. 17. n. 90. sqq. 2) Exempla sunt Ius Lübecense. Lib. III. Tit. 6. Art. 21. & Ius Hamburg. Part. 2. Tit. 8. Art. 1. Nec non Iur Bauarici municipi., vetus M. Spt., a Schiltero Exercit. 28. §. 6. alleg. sub titulo. Quid juris habeant mulieres: Welche Frau Wirthsrecht hat; in verb. Eine Frau die zu Margd set, und die kauft und verkauft die hat alle die Recht, die ir Wirt hat. Und kein andere Frau mag an ihres Wirts willen, nichts thun, damit man Geld schuldig wird.
- 3) Meius ad J. Lübec. Lib. 3. Tit. 6. Art. 21. n. 39. sqq. Plura habet Stein in der gründlichen Abhandlung des Lübischen Rechts Tom. I. §. 144. Tom. II. §. 34. 55. sqq. §. 93. sq. Tom. III. §.

137.

137. sq. 4) Menius l. c. n. 6. sq. 5) Berlich l. c. n. 91. 6)  
Id quod Ius Bauaric. municip. modo allegat, expresse probat.

### §. XL.

Ratio huius circa mercatrices constituti juris singula-  
ris, procul dubio in fauore commerciorum sita est, & quod  
in eiusmodi caussis ad mercaturam spectantibus, non juris  
apices, sed magis æquum & bonum speculatur, qua de re fe-  
minarum jura hoc in casu iuribus virorum æquiparata, & il-  
la a conditione muliebri, exempta sunt, ne impedianter com-  
mercia aut exteri, quibuscum negotia ineuntur, ex ignoran-  
tia eiusmodi jurium singularium, in utilitatis publicæ detri-  
mentum decipientur. Ex hac igitur speciali ratione conse-  
quitur, vt femina, hac immunitate a Curatore, eatenus tan-  
tum fruatur, quatenus est mercatrix, in reliquis igitur nego-  
tiis ad mercaturam non spectantibus, curatore omnino indi-  
geat, & reliquis sit æquiparanda 1). Quod enim sub cer-  
ta qualitate depositum est, ea cessante, etiam cessare debere  
docet recta ratio. 2)

- 1) Berlich l. c. n. 94. 2) De consuetudinibus Galliæ testatur  
Savary dans le parfait negotiant. Cap. 31. vbi Art. 236. Sta-  
tut. Gallic. exhibit, vbi verba: Qoiqu'en pouissance de mari,  
se peuvent obliger sans leur Consentement. Touchant le fait  
& dépendence de la Marchandise seulement, dont elles se me-  
lent.

### §. XLI.

Hac sunt genuinæ juris germanici antiqui, circa hanc  
curam exceptiones, quas hic recensendas putavi. Enume-  
rantur quidem a Berlichio l. c. plusquam viginti aliae quæ  
vero omnes, si penitus eas in spexeris, ad jus Saxonum  
Electorale & nouum pertinent, quod cum in hac re, multo  
rigidius sit, quam antiquum, exemplo etiam esse potest, quod  
quo rigidiiores sint leges, eo magis exceptione indigeant.  
Ex instituto nostro vero haud est eas exceptiones hoc loco  
sigillatim proponere.

TIT.



## TIT. II.

*DE DISPOSITIONIBVS IVRIS SAXONICI CIRCA  
PERSONAS, ET QVIDEM CVRAM GERENTES, ATQUE  
DE HIS QVI CVRATORES CONSTITVNT.*

§. XLII.

Vt ad personas curam gerentes, me conuertam jam institutum requirit. Curatorum nomine haec insigniri solent. De eorum vero varietate, diuisione ac definitione generali, parum solliciti erimus, si ea quae supra de diuisione curae allegata sunt rite perpendamus. Primo enim sequitur alueo curatorum eandem esse debere diuisionem, qua est curae ipsius. Ne igitur bis coctis spatium expleatur, ad species sigillatim pogredior.

§. XLIII.

Quod igitur primo ad curatores legitimos attinet, eos vocamus tales, quibus ex speciali legis dispositione immediate gestio curae est permissa. Primo loco jam supra nominatus est maritus, de cuius habilitate aut inhabilitate ad curam vxoris suscipiendam prater ea quae jam supra Cap. II. sect. I. §. 25. sqq. adduximus, exhibidem dictis deduci possunt, hic loci nonnulla adiiciemus. Regulam itaque de eo curatore ponunt D D. simulac ingressus est thorum coniugalem, vxorem in eius tutelam ac potestate cum omnibus suis bonis transire, ipsumque eapropter curatorem legitimum effici, ita ut postea vxor nullum negotium, sine eius auctoritate & consensu perficere possit. 1)

1) conf. I. P. S. Lib. I. Art. 31. ibique Glossæ, &amp; Lib. I. Art. 45.

§. XLIV.

Vt autem maritus hanc curam vxoris legitimam gerat, requiritur, vt ad hanc habilis sit. Inabilitas autem maxime oritur, si ipse adhuc sub cura est, & annos maiorenitatis suæ nondum attigit. Nuptiæ enim, sicut jure romano, ita & germanico, statem non supplant, nec tutorum vel curatorum potestatem euertunt 1). Atque in hoc casu eius con-

consensum & auctoritatem negotiis vxoris interpositam non sufficere, manifesto apparet, ideoque alius Curator vxori dari debet, licet legitimus jam adsit 2). Cui enim res propriæ non libere gerenda concreduntur, ei multo minus, administratio negotiorum, rerumque vxoriarum permitti debet, cum hic maior negligentia juenilis ac dilapidationis metus subesse videtur, quam si quis propriis præst negotiis.

- 1) *Mev. ad I. Lubec. Lib. I. Tit. 7. Art. 6. n. 19. seqq.* In multis tamen Germaniae prouinciis, ex Iuris antiqui formula nuptiæ ætatem supplent, & curam finiunt, *Dinkler de Cura ætatis, nuptiis minorenxis extincta.* 2) *Mev. I. c. Lib. I. Tit. 10. Art. 1. n. 20. seqq.*

### S. XLV.

Altera curatorum legitimorum species, proximorum feminæ consanguineorum est, prouti supra jam demonstravimus 1). Fundatum enim mihi videtur in antiquis germaniæ conseutudinibus, quod cura mulierum, cum tutela minorum semper pari ambulet passu: ex quo ortum itaque videtur, vt, cum consanguinei semper in tutela præferantur, hi quoque in cura feminarum potissimum eligantur; hoc accedit, quod Iure germanico translationes hereditatis, in aliud quam legitimum heredem, semper odio obnoxiae fuerint, quare etiam testamentorum usus apud Germanos serus fuit, & nulla fere dominii translatio sine heredum consensu fiebat, si modo illa erat alicuius momenti, quare ex his sine dubio ortum est, vt proximus quilibet consanguineus, ad quem hereditas feminæ spectabat, etiam a legibus procuratore eiusdem constitueretur, & ideo ordinabatur, vt actus feminæ validitatem huius curatoris consensu demum obtinerent; Cuius ratio itaque est, ne ista occasionem inueniant heredes suos hereditate defraudandi, & vt ex prout hoc ex I. P. S. 2) patescit, hoc modo adstrictæ essent, consilium eorum adhibere, quorum intererat maxime. 3)

F

1) I.

- 1) J. P. S. Lib. I. Art. 45. & 46. ibique Glossa sub voce: *Ihr rechter Vormund.* 2) Lib. I. Art. 45. 3) Pluribus id persequuti sunt *Stranger* de ultimis voluntatibus consensu indigis & *Kapf* de Curatorum consensu, ad ultimas voluntates subinde necessario.

## S. XLVI.

Ex supra dictis itaque sequitur potestatem horum legitimorum curatorum, siue sint maritus, siue proximus consanguineus, latius patere, quam reliquorum. Dicatum enim jam supra est, jure Saxonico antiquo, feminis solum in judicio experientibus, curatores datos fuisse, relicta extra judicium libertate. Nunc vero apparet, legitimorum curatorum potestatem, etiam ad extra iudiciale fesse extendere 1). Quoad negotia demum judicialia, non solum hi legitimii curatores, datiis praeferuntur 2) sed & ex moribus antiquis, vbi judicia duellica vigebant, in hoc casu, vbi res duello erat decidenda, ad hanc curam subeundam cogebantur; quod vero, euerso hoc bonis moribus aduersante modo procedendi, in desuetudinem abiit, ita ut postea nulla vestigia deprehendas, vbi quis ad curam suscipiendam coactus fuisset 3) imo potius videtur, omnem usum curarum legitimorum consanguineorum exspirasse, cum apud DD. nihil fere aut admodum paullulum de ea deprehendas, & si in antiquis legibus eius memoria non extaret, vix unquam eam extitisse presumseris 4).

- 1) Huius rei monumenta & adhuc jure Saxon. nouo extant, licet nomen curatoris legitimii, extra usum esse jam dudum incepit, ita ut nunc haec regula juris antiqui, in jure novo, species exceptionis a regula generali facta sit. Berlich P. 2. Concl. 17. n. 84. Carpzon. P. 2. Const. 15. def. 18. sq. 2) Id quod dilucide apparer ex verbis Art. 45. Lib. I. J. P. S. Ein Weiß mag auch ohne ihres Mannes Urlaub ihr Guß nicht vergeben noch ihr eigen verkauffen noch ihr Leibgeding auslassen, um das, daß er mit ihr in der Gewehr sieht. Deinde quoad consanguineos: Megde aber und unbekannter Weißer mögen wol verkauffen ihr eigen ohne ihres Vormunden Urlaub, er sey dann Erbe dazu. 3) Berlich l. c. n. 11. 4) adde Art. 43. L. I. J. P. S.

## S. XLVII.

## §. XLVII.

Maior horum curatorum potestas in causis judicialibus tractandis, etiam in ipsa causa tractatione sese excerebat. Id quod ex Art. 46. Lib. I. J.P.S. apparet; vi cuius legitimis curatoribus incumbit Guarandam non solum promittere & recipere, sed & promissam adimplere. Datuvi autem curatores non tenentur, nisi ad Guarandam promittendam & recipiendum, & J.P.S. 1) diserte eos ab adimpletione actuali Guaranda liberat. Ratio huius diuersitatis vero, in eo mihi sita esse videtur, quod legitimus curator etiam heres feminæ existebat, ideoque rem suam agere putabatur, cum negotia feminæ administrabat, & lucra damnaque ex ipsis emergentia, ipse sentire præsumebatur, pro pari enim reputari debet, utrum damnum nunc, aut ex interuallo post mortem feminæ sentiat. Datuus vero & heres non existens, neque lucrum neque damnum ex feminæ negotiis sperare poterat, quare ille etiam sine damno permanere debebat, si eventus negotii parum prospere cesserat, & Guaranda promissa etiam præstanta erat.


1) Lib. I. Art. 47. quibus add. Glossa germ. ad Art. 46. Lib. I. verb. ihr rechter Vermund cum sqq.

## §. XLVIII.

Curatoribus tandem legitimis deficientibus, ad curatorem datuum, siue constitutum resedit, de cuius persona & constitutione nunc erit differendum. Ut autem ordine progrediamur, de eius constitutione prius dispiciamus. Et quidem primo constituens curatorem considerari meretur, secundo vero loco, modus, quo constituantur curator, pertractandus est. Rationi enim conuenit, causam efficientem ante effectus perpendere, priusque nosse, quæ sit persona, vbi quid impetrari debet, quam de imprestatione ipsa dissidi potest.

## §. XLIX.

Persona igitur constitutens curatorem est *judex*. Id quod non solum ex antiqua, sed etiam ex media jurisprudentia germanica clare patescit, & ex ipso J.P.S. facilis negotio probari



potest, cuius loca facile euoluuntur; nec circa hanc rem facile quid dubii moueri poterit, si excepéris hoc, quod de Notario afferri solet. Qua de re nonnulli, specie decepti, ita argumentantur: Notario tribui judicis nomen, eumque vocari judicem chartularium, imo & judicem ordinarium, præcipue in Diplomatibus, quæ a comitibus Palatinis accipiunt <sup>1)</sup>: Cui igitur nomen tribuatur, ei etiam effectus denegari non posse <sup>2)</sup>). Præcipue cum, secundo, ex eorum officio sit, actus jurisdictionales exercere, qui alias ab ipsis judicibus suscipiendi fuissent veluti, testium examen suscipere, in vim, ut probatio exinde fiat, rotulosque confidere <sup>3)</sup>, coram iis quoque Appellatio interponi queat, iisque Procuratores ac Syndicos constituere possint, & quæ sunt huius generis alia. Porro tertium, & quod hoc maxime facit argumentum est: Quod si verum est, actus illos jurisdictionis, notarios perficere posse, qui nullam caussæ cognitionem, neque satisfactionem, neque coactionem requirunt: Sequi exinde, ut etiam curatorem sexus, constituere possint, cum feminæ Saxonice nullus inuitus Curator detur, neque satisdent, cum administrationem bonorum non habeant isti curatores, sed solum auctoritate & consensu feminis adfiant, atque regulariter, sine omni caussæ cognitione dari soleant.

Postremo hoc maxime facit argumentum, ex L. 2. ff. de Iurisd. desumptum. Concludunt exinde: Quod, cui facultas data est, ut coram eo, actus aliquis celebrari queat, ei etiam liceat, omnia media adhibere, quæ ad eundem actum perficiendum requiruntur; Notarins vero jus haber contractus perficiendi; ergo ei ad hos perficiendos, media conceidi debere; Igitur, si femina contra hat curatore destituta, ipsi quoque curatoris constituendi facultas, permittenda esse videtur. Sed cum hac omnia lubricis admodum fundamentis suffulciantur, singulis respondebimus.

<sup>1)</sup> Conf. Diploma Caroli V. Comitibus ab Ortenburg datum, apud Volk-

Volkmann. in arte notariatus. Mynsing Conf. 93. n. 30. 2)  
 Accurs. ad L. I. ff. de Indie. Baldus in L. 4. C. de Adopt. 3)  
 Graeueus Concl. 102. Confid. I.

## §. L.

Primo igitur loco titulus judicis Notario concessus, nihil huc facere potest, cum tanquam titulus honoris concessus sit; nec igitur in sensu proprio, sed analogico potius tribuitur, qua de re a nudo nomine, ad rem ipsam illatio fieri nequit. Præfertim, cum nullibi deprehenditur, Notario officium judicis ordinarii concessum esse, quod igitur iis recte negatur 1).

Secundo, negari quidem non potest; Notarios actus quosdam exercere posse, qui jurisdictioni regulariter cohaerent: Sed a speciali ad generale concludi non potest, & quod notarius, nihil præter specialiter concessum & expressum perficere possit, liquet; Atque ex plane diuersa ratione, actus judiciales a notario extra iudicium perficiuntur, quæ a judice alias in iudicio sunt; Hic illos vi jurisdictionis exercet, ille vero, vi specialis officii. Id quod etiam ex diuersa actuuum forma, aliter in iudicio, aliter a notario obseruanda appetat; imo etiam supra memorati actus, non nisi certis sub limitationibus a notario perfici possunt, e. g. Interpositio Appellacionis non prius coram eo fieri potest, ex mente juris Saxonici Electoralis 2), quam si judicis non est copia 3).

Tertium argumentum nec multum me mouet; cum a) datio curatoris, illis non specialiter concessa sit, & a particuliari ad vniuersale iterum conclusio fieret, hoc concessum; Ins per b) etiam in iudice Curatorem dante, competentia fori requiratur; ad Notarium vero ea quæ de competentia fori prohibentur, neutquam applicari possunt. c) Hæc quoque curatoris constitutio ad jurisdictionem contentiosam, communi DD. concessu referunt 4) quæ nequaquam notariis relinquunt potest; quæ de re & hoc, quod tertio loco proponebatur argumentum, illico corruit.

Ad postremum quod attinet a) jam supra monuimus, quod ex jure romano, ad instituta germanica, plane non valeat consequentia, cum plane nulla connexio vtrorumque iurium demonstrari possit. b) Lex vero, quæ pro fundamento ponitur, plane diuersa tractat, nec ideo huc trahi potest: Verba enim legis testantur, ibi solummodo loqui de eo, cui jurisdictio est concessa, & ad Commissarios fundamento solidiori applicatur 5). Ast quanta diuersitas, inter hos, notariosque! c) Porro ibi suppositum Axioma: qui habet jus ad finem, habeat etiam jus ad media; in hoc casu nequaquam procedere potest: Non enim est necessarium ad finem obtinendum, vt Curatorem ad actum a se peragendum constitutat notarius, cum hoc in judicio semper fieri possit; vbi vero medium ordinario modo obtineri potest, ad finem consequendum, ad extraordinarium modum non est recurrendum, & officio notarii magis congruit, vt partes ad judicem ableget, & vt curatores ibidem illis constituantur, curet.

Liquet itaque hoc quod obmoueri potest dubium de Notario conceptum, nec ullam mereri attentionem. 6)

- 1) *Carpzou*. P. 3. Confl. 3. def. 32. n. 7. sqq.
- 2) *Ludouici Einleit. zum Civil Proces* Cap. 34. S. 6.
- 3) Hæc res vero ex rationibus juris communis aliter scilicet haberet, & Appellationem coram Notario & testibus semper interponere licet *Hoffmans Reichspraxis* T. I. §. 947. T. III. §. 2410.
- 4) *Carpz. Proc.* tit. 2. n. 43. *Moller Part. 2. Conflit.* 15. n. 15.
- 5) *Rutg: Roland de Commissari*. P. I. Lib. 3. cap. 2.
- 6) *Loco omnium vid.*, *Ludewig Opuscula Part. I. Lib. 3. Opusc.* 2.

#### S. LI.

A Judice itaque curatorem constitui debere manifestum est. Disquisitionem interea meretur, quo iure iudici hæc competit potestas? Nec diu dubitandum est, ex iure supremæ iurisdictionis, domino territorii competente, hanc iudicium potestatem deriuari debere: nec longa demonstratione indiget; quod is, qui supremam habet iurisdictionem, etiam possit ea ordi-

ordinare, quæ ad jurisdictionem exercendam pertinent. Si autem haec, quæ in antecedentibus proposita sunt principia intuearis, potius statuendum erit, ex consuetudinis jure potius, judices hoc jus adeptos esse. Hi enim in antiquis, vbi cura ortum traxit temporibus ut custodes jurium ex consuetudine obtinentium considerabantur, & casu emergente, si nimirum femina in iudicio negotia pertractatura erat, ex more temporum ad illa negotia coqualidanda, curatores constituebant. Quare illis hoc jus semper intactum remansit, donec in medio ut dicunt, ævo, in J. P. S. omnibusque eo tempore conditis legibus provincialibus ac statutis, quorum *Gisibertus* 1) plus quam centum eo fine concessit, hoc jus iudicibus disterte attributum fuit; quod & postea, imo etiam immutatis, circa hanc curam principiis, iisque cum iure romano confusis, nihilominus remansit, & a recentioribus legumlatoribus, licet ex alio principio relictum est.

Non dabatur præterea olim feminis curator, nisi in negotiis judicialibus, quæ ex re, nemo aptior ad constitutionem Curatoris reperiebatur, quam iudex ipse & cum ab illo ea omnia ordinanda erant, quæ ad iudicium spectabant, ille etiam de cura feminæ, coram se in iudicio comparentis, disponebat, curatoresque dabat.

1) In periculo II, Statutor. art. 20. n. 83. 84. 95. p. m. 79. sqq.

#### §. LII.

Sequitur itaque ex his in Germania Curatores non datus fuisse jure Magistratus, siue ab eo magistratu, cui nominatum hoc jus dandi curatores vel lex vel princeps attribuit, sicuti apud Romanos, sed potius jurisdictionis esse curatorum constitutionem. 1)

Sequitur porro judicem a quo curator dandus est, competentem esse debere. Antequam autem de competentia differi potest, distinctio inter curatorem *generalem* ad omnes omnino lites, praesentes & futuras constituendum; & *specialem*,

alem, cuius auctoritas, ad vnum solummodo actum requiriatur, reuocanda est. Quod igitur ad generalem attinet, iudex competens esse debet, ratione domicilii feminæ, ita ut illa judicis jurisdictioni subiecta sit omnimode; id quod ex antiqua obseruantia retentum esse, docet Glossa ad I. P. S. 2). Principiis enim jurisprudentia germanica conuenit, omnes eos actus, qui proprie ad personam mulieris pertinent, in eo foro, vbi domicilium est, expediri debere. Si igitur iudex domicilii curatorem ad litem, simpliciter, & sine mentione vnius alteriusue negotii dat, generaliter, ad omnes lites is constitutus censetur 3); DD. interea requirunt, quod si curator generaliter datus sit, non obstante generali constitutione, nihilominus in singulis actibus necessariam esse nouam constitutionem, & confirmationem specificalem 4). Quod sine dubio exinde ortum est, quod textus I. P. S. nihil diserte de curatore generali habeat, & quæ de eo extant, ex Glossa deduci soleant; Art. 47. Lib. 1. I. P. S. e contrario, solummodo de specialiter constituto loquatur; quapropter DD. ad conciliandum hunc articulum cum Glossa, in medianam iuerunt sententiam, atque hoc modo, generalem constitutionem cum speciali coniunxerunt; quod vero mea quidem sententia, a rationibus genuinis & antiquis abhorret, cum a) curator generalis non incognitus esset, omnes enim legitimierant generales 5) b) & quia generaliter constituti, ad exemplum legitimorum introducebantur, neque prius, quam his deficientibus constituebantur, 6) qua propter eorum iura, iuribus legitimorum, paria esse debent.

1) L. 6. §. 2. ff. de Tutor. & Curator, datis.  
 L. 1. ff. de officiis eius, cui mandata est jurisd. Menken Synops.  
 ff. Tit. de Tutor. & Curat. datis §. 2. 2) Art. 47. Lib. 1.  
 sub D. ibique Glossa lat. ad Text. Latin. verbo: in quibuslibet  
 &c. Berlich P. 2. Concl. 18. n. 2. sqq. 3) Carpz. P. 2. Const.  
 15. def. 27. 4) Berlich l. c. n. 4. 5) In eo usque  
 progressi sunt DD. ut etiam maritum, qui sine omni dubio le-  
 gitimi-

gitimus & generalis est curator, non prius admittant, quam prævia speciali constitutione, & productio curatorio; quod vero ob concurrentem abusum juris romani, non sine ratione iniqutatis arguit Ebor, in der deutschen Rechtsgelehrtheit Th. 3. §. 971. 6) Ebor l. c. War er aber abwesend (legitimus Curator) so bestellte er ihr einen Beschüher.

## §. LIII.

Quod autem secundo loco attinet ad curatorem *specialiter* constitutum: judex competens esse debet ratione causæ & litis, ad quam curator dandus est. Ex quo sequitur: Iudicem, qui eiusmodi curatorem dare vult, habere jurisdictionem, & illius causæ, ad quam curatorem dat, cognitionem ad eum spectare debere. Quam rem præiudicio firmat *Carpzovius* 1) addens rationem, quia eiusmodi curator principaliter causæ ac rei detur. Ast hoc etiam apparet ex I. P. S. 2) ubi verba: zu einen jeglichen Gericht, mag ihr aber der Richter wohl sonderliche Vormunden geben, ita concordant, ut alium judicem, quam eum, ad quem causæ cognitio spectat, subintelligere nequeas. Atque hanc dispositiōnem ex statu judicium deducere mallem, cum cuilibet jus quæsitum, in causam coram se disceptandam competit, nec ideo aliis judex, competente invito, causæ sese immiscere possit. Quapropter cum judex habeat jus quæsitum in finem, hoc habere debet etiam ad media, ad finem obtinendum competentia, quo sine dubio constitutio curatoris pertinet, cum leges prohibuerunt, nullam litem a femina suscipi posse, nisi Curatore exhibito.

1) *Carpzov.* P. 2. Const. 15. def. 17. 2) Lib. I. Art. 47. circa fin.

## §. LIV.

Competens denique judex esse debet, ratione personæ, qua in curatorem constituitur. Incumbunt enim Curatori obligationes; obligationes vero eiusmodi, a nemine, nisi a superiori, cuius jurisdictionem agnoscit curator, imponi pos-

G

sunt,

sunt, qua dere hæc res per se patescit. Atque hæc sunt, quæ de persona Curatores constitutive, proferre mihi ex re esse, visa sunt.

## §. LV.

Nunc vero dispiciendum supereft, quo modo hæc constitutio fiat. Abit ista quæftio in partes duas; Nam vel *prævia supplicatione* sive ad instantiam, vel etiam *ex officio*, curator feminæ constituitur. Si igitur constitutio ad instantiam fieri debet, judex adeundus & vt curatorem constituant rogandus est. Petitionem autem fieri posse, vel ore tenus ubi petens, sive sit mulier ipsa, sive pars aduersa, sive aliis cuius interest, præsens in judicio esse debet; vel litteris *supplicibus* judicii oblati, si petentes non in judicio comparere velint aut possint, explorati juris est 1). Ex altera parte vero, si Curator non petitur, cum tamen peti debuisset, judicium redideretur nullum. Quotiescumque enim aliquid, quod a legibus pro forma necessaria actus requiritur, omittitur, toties nullitas oritur 2). Judicii igitur incumbit curare, vt nullitates euitentur, quapropter ei liberum esse debet, ea qua leges de processu præcipiunt supplere, & igitur in nostro casu, curatorem *ex officio* constituere.

1) *Pet. Muller ad Struu. Exercitat.* 31. §. 94. lit. g. *Consultat. Saxon.* lib. 4. qu. 21. & 32. 2) *Berl. P. 2. concl.* 17. n.

102. *sqq. Carpz.* P. 2. *Const.* 15. def. 1. n. 6. *sqq.*

## §. LVI.

Præprimis vero feminæ ipsa curatorem sibi constitui, abs judice petere debet; si illa autem hoc neglexerit, vel impedita fuerit, ad instantiam proximorum curatorem constitui posse, non est ambigendum. His enim prouti supra demonstratum est, incumbebat curatela legitima; si hi itaque hanc recipere non poterant, & se se excusabant, quod pariter ac in tutelis minorum accidere potuisse, nihil repugnat, dativa cura locus siebat. Quare eos, qui se se excusaverant, simul judicem, pro constituendo alio curatore im-

plo-




plorare potuisse, est statuendum. Pariter quoque ad instantiam aduersa partis, vel etiam concreditorum in concursu, feminæ curator est constituendus. Eorum enim interest per magni, ne iudicium cum femina suscepturn reddatur nullum, quod prout supra dictum est, neglecta curatoris constitutione accideret, ac ideo iis competere deberet, implorandi iudicem, ut curatorem constituant, atque illorum petitioni, deferat illico iudex. 1)

1) *Petr. Muller ad Struv. l. c. § LVII.*

Atque hæc omnia ex rationibus antiquis, & ex J. P. S. de quo loquimur, erui deducique possunt, eiusque analogia conveniunt. Quod autem ad actum constitutionis ipsum attinet, eum pro more iudiciorum variare, facile crediderim, & ex maxima parte nouæ originis esse qua de re spharam nostram ille parum tangit. Modus interea antiquus esse videtur, quod tactu baculi iudicialis a curatore promittitur, se ex fide ac proximis suis consilio suo, feminæ assistere, eiusque utilitatem promouere velle, cum promissio sub tactu baculi iudicialis, in antiquissimis temporibus, vsu iam esset introducta 1). Natura rei ceterum exigit, istam constitutionem fieri debere per rescriptum, si femina absens, litteris supplicibus curatorem petat, ubi si absens curator est, per istud rescriptum constitutione ei notificatur eique iniungitur, ut feminæ ope & consilio assistere velit 2).

1) *Estor deutsche Rechtsgel. P. 3. §. 4926.* 2) *Moller semeist. Lib. 4. cap. 23. in f.*

Quomodounque autem constitutio est facta, ea adeo necessaria est, ut curator sine ea, nihil utiliter agere possit 1) & si quod negotium iudiciale, pro femina, ante eam constitutionem suscipere velit, illud tamen ob nullitatem corrdat. Id quod etiam eo extendunt DD., ut licet negotium in utilitatem feminæ tendat, illud hoc non obstante, tamen pro nullo declara-



rari debeat, cum tamen femina ipsa, sine curatore negotia translatans, si ipsi utilias sunt, firmiter absoluat 2). Id quod quamuis durum, secundum leges antiquas tamen procedere debere est statuendum, cum prohibitio illa, qua feminis personam laudandi in iudicio admit, sit generalis, adeoque ad omnes simpliciter actus, sive sint vires, sive non, trahi debeat. Ex re ipsa etiam hoc patescit; leges enim requirunt, negotia seminarum, cum curatore perfici debere; qui autem non constitutus est legitime non est curator, ex quo itaque sequitur, eum etiam nihil, quod curatori incumbit suscipere posse, & licet euentus prospere cedat, tamen negotium ab initio nullum, ex euentu conualescere nequit. Qua de re illico repellendus, & plane in iudicio non audiendus est eiusmodi curator.

1) Mynsinger. Cent. 2. Obs. 37. Consil. Argentorat. Conf. 9. n. 7. & 8.

2) Carpz. P. 2. Const. 15, def. 17 Berl. P. 2. Concl. 17. n. 118.  
§. LIX.

Si demum curator feminae legitime est constitutus, ei pro legitimatione personae littera testimoniales, sive decretum facta constitutionis seu confirmationis, dari debent. Quod vulgo curatorii nomine insigniri solet. Per hoc vero iudici coram quo res agitur, atque parti aduersae fidem facere debet, se curatorem legitime esse constitutum 1). Hoc vero non requiri ratio docet, si curator ab eo iudice constituitur, coram quolis penderet, isti iudici enim constitutio iam innotuit, de ea igitur non est certior reddendus, sufficit ergo hoc casu, si facta constitutio, actis solummodo inseritur, ibique, ut dici solet registratur, pro aduersae partis notitia 2).

1) Gail Observat. Lib. 2. Obs. 107. n. 1. 2) Berl. P. I. Concl.

16. n. 13. Carpz. Responsa Lib. 3. Tit. 1. Resp. 14. n. 8.

### TIT. III.

#### DE DISPOSITIONIBVS IVRIS SAXONICI, CIRCA GESTIONEM CVRAE IPSAM.

S. LX.

Nunc de gestione cura ipsa, locus erit differendi. Ante  
omnia

omnia vero monuisse iuuabit, ne quis ea, qua ad gestionem cura minoris pertinent hic misceat, ingens enim differentia, inter utramque deprehenditur, 1) quam vero sigillatum hic enodare supersedeo, cum in hac re *Meius* 2) praeclarus sit antecessor, ad quem igitur plura qui cupit, alegari sese patiatur. Quod autem ad scopum nostrum attinet, ex antecedentibus facile colligi potest, huius cura gestionem praeципue absolia a consiliis suppeditandis b) auctoritate interponenda, ac consentiendo in actus suscipiendos.

1) *Leysen* Meditat. ad. ff. Spec. 350. med. 1. 2) ad Ius Lutet. Lib. 1. Tit. 7. Art. 11. n. 1. usque 12.

## §. LXI.

Notandum autem est, quoad eam curatoris obligationem, quæ in consiliis suppeditandis, auctoritateque interponenda consistit, ei incumbere solummodo in quolibet casu dato, ut secum deliberet quid prosit, aut obesse possit, femina sua cura demandata, deinde ut de eo, quod sibi videtur e re illius esse suadeat, de damno vero euitando, eam probe moneat, consiliisque communicatis, cum ipsa femina deliberet, omnemque suam prudentiam ac dexteritatem adhibeat, ad salutem curandæ, in quolibet casu promouendam. Præterea liberum est feminæ, velitue consilium sequi, aut aliud quod ipsa concepit, aut quod magis placet suscipere; quo casu ultimo, licet sentiat curator, periculosum esse, cedere tamen debet i) & si ad hoc perficiendum, auctoritatem interponere velit, nullum exinde expectabit incommodeum.

i) *Leysen*. Spec. 328. med. 22.

## §. LXII.

Hoc igitur quod §. præced. diximus, ex libertate naturali, feminis pariter competente, is reliclum esse, mihi videtur. Ast, argumentum ex hac re peti posse, non sine fundamento arbitrari, & quar'i posse existimo: Quod si fragilitas sexus, aliquis momenti in negotiis tractandis esset; quare leges ad eam corrigendam feminas non arctius strinxerunt ad consilium cu-

ratorum sequendum, sed sua laxitate rem fere in pristinum statum, curarorum nescium, reduxerunt? Sequi igitur ex hoc mihi videtur: a) Aut eiusmodi iura istam laxitatem statuentia, vitii cuiusdam esse taxanda, cum præter necessitatem entia moralia cumularunt, hanc curam introducendo, & nihil nisi inanem solennitatem acibus addentes, negotiorum iudicialium tractationem, gratiorem & periculosem reddiderunt, imo Processuum ambages mirum in modum auxerunt, quibus nequidem annumerare volo, quantis fraudibus si cum imperitis res estianua aperiatur<sup>1)</sup>). Aut b) istorum iurium fabricatores ipsi agnouerunt, fragilitatem sexus tantum vitium non esse, quod tanta medela, curatoris nimirum opus habeat, & ea de re, dispositiones suas arbitrarias, ad naturæ conuenientiam, eo modo, & relaxando aliquid, circa necessitatem sequendi consilium curatoris, attemperare voluerunt. Aut c) ista laxitas moribus antiquis non est conformis, cum prout supra patet, hæc cura ex rationibus politicis est introducta, cum his vero illa laxitas non conuenit. Hanc laxitatem, circa consilia curatorum sequenda, igitur, non esse genuinæ originis, puto, & leges antiquas, in hoc puncto rigidiores fuisse, concludo. Ad quod credendum eo facilius inducor, cum J. P. S. plane de his, quæ circa consensum annotamus filet, & ea solum a DD. inferuntur. Si quis igitur hanc rem penitus inspicerit, non absconum esse reperiet, quod haec DD. conclusiones, quas circa consilia Curatorum excogitarunt plane contra normam iuris antiqui sint, & non prius exiterint, quam cum sentirent, totum negotium curatorum sexus, cui tamen multum fauebant, & ut antiquitatis reliquiam, plus iusto venerabantur, flatui praesenti non amplius conuenire, & cum principia romana cum domesticis instauris confundere inciperent. Quam posteriorem sententiam & ego quidem amplecti malim, cum nullo modo mihi persuadere possum, maiores nostros, circa consilia curatorum non fuisse rigidiores.

1) Re-

1) Reliqua incommoda nostris temporibus orta, vide apud *Leyserum* Spec. 328. med. 22. & Spec. 350. med. 2. qui his locis, illud institutum multis ex capitibus reprehendit.

§. LXIII.

Alterum cura gerenda caput consensu, auctoritateque actui interponenda, absoluuntur, adeoque hoc in actu ipso fere exserit. Cum autem curator saltem, pro forma a legibus praescripta, actui adiiciatur, ex hoc facile concludes, quomodo consensus debeat esse comparatus. Sequitur itaque, ut consensus debeat esse verus & expressus 1). Nec ideo sufficit, ut curator sit actui præsens, & non contradicat; præsumitus enim consensus, ob rationem a latam non admitti potest. Sequitur exinde porro, auctoritatem & consensum ipsi actui interuenire debere, nec posse interposicu, actui validitatem conciliare posse, prout ex *Berlichio* auctoritatibus firmatum, conspici potest, qui simul multis ex argumentis, hocce firmare studuit; præcipue vero hoc facit illa iuris notissimi regula 2), quod illud quod ab initio fuit nullum, per subsequentem consensum connalescere nequeat. Hunc consensum præterea speciale esse debere, etiam ex prædictis patet, nec sufficere ideo potest, eum generaliter imperiri; immo ad singula, quorum exactam in curatore notitiam & deliberationem requirunt, debet esse directus 3), quod vel ex eo patet, quia præcedens exacta deliberatio & cum semina communicatum consilium requiritur, quod in consensu generaliter concepto, plane cessare debet.

1) *Meius* ad I. Lubec. Lib. I. Tit. 10. Art. I, n. 27. *Berlich* Lib. 2. Concl. 18. n. 25. & 26. *fqq.* 2) *Berlich* I. c. *Carpz.* Part. 2. Const. 15. Def. 31. 3) *Berlich* I. c. n. 30. & 31.

§. LXIV.

Et hæc sunt, quæ DD. communiter circa auctoritatem & consensum curatorum tradere solent, parum solliciti, virum ex fonte germanico deducere possint, neque, sed quia confundendo iura peregrina nobis obtrudere solent. Operæ pretium

igit.



igitur me facturum esse spero, si conuenientiam horum dogmatum, cum genuino germanico iure demonstrauerim.

Ex iplis autem dispositionibus J. P. S. apparet, ac iterum itemque dictum est, eam Curatoris in negotiis iudicibus adhibitionem, a legibus ita praecipitam fuisse, ut ea neglecta, actum pro nullo habere possis. Cum enim non attendimus ad reliquas dispositiones, ex quibus hoc erui potest; hoc abunde apparet ex verbis J. P. S. 1) Jungfrauen und Frauen müssen Vermünden haben: & porro non obscure, ex ratione a Saxone ibidem allata: Durch das, daß man sie nicht überzeugen mög, des, daß sie vor Gericht sprechen oder thun, elucescit. Quorum verborum sensus a Schilte 2) ita explicatur: *Eis mulier quid dicat aut agat, promittat aut tradat coram iudice, tamen exinde non obligari, & imo si inficietur, esse dicta aut pacta, non posse a iudice aut parte veritatem dictorum aetorumue probari contra feminam, neque ex Protocollo, neque per testes aut scabinos.*

1) Lib. J. Art. 46. 2) Exercitat. X. S. 22.

### S. LXV.

His igitur suppositis apparet, adhibitionem curatoris ad actus iudiciales, iure germanico antiquo esse requisitum actus necessarium, a legibus positivis adieclum, ita ut eo neglecto, actus validitate careat, & ipso jure sit nullus. Si igitur hoc verum est, sequitur, ut hic omnia requisita solennitatis juris concurrant, & ergo solennitas subsit; sequitur, ut etiam ea, quæ supra circa auctoritatem interponendam & consensum deduximus, vere juri germanico antiquo congruant, nec nobis opus esse, prout a D.D. fieri solet, ex legibus peregrinis ea deducere ac probare, sed quod eius rei probanda causa, rectius & meliori fundamento, ad fontes domesticos recurrere possimus, licet nihil eorum consensus auctoritatisque requisitorum adductorum, expressis verbis in legibus antiquis ob breuitatem earum deprehendamus, nihilominus tamen ea vera esse, & ex institutis germanicis flue-

re

re ac eapropter pro genuinis haberi debere mediante filo consequitur ac ducente analogia cognoscimus.

§ LXVI.

De obligatione curatoris ex eius officio oriunda, si quod damnum forte existit, iam disquirendum superest, cum facile quis nomine deceptus, sibi persuadere possit, eum vel feminæ vel parti aduersa, ad exemplum curatoris minorum, pro circumstantiis rerum teneri. Ordinatum vero in J. P. S. 1) deprehendimus, quod nulla omnino nostri curatoris obligatio supersit. Quapropter ex consilio suo, nisi dolose & fraudulenter consuluerit, licet femina sit læsa, nullum ei imminet præiudicium 2) & recte sentiunt illi, qui controuersias, quæ circa illorum obligationem & officium nascuntur, ex his quæ de consilio eiusque iure, recta ratio docet, decidunt 3). Nec metuat periculum curator ex suo consensu auctoritateque negotiis feminæ interponenda, cum ex illa allegata J. P. S. dispositione, nullo modo sibi præiudicare possit. Nec parti aduersa, ius quoddam contra curatorem acquiritur, cum ille obligationem non proprio, sed feminæ iure contrahit, & consensum suum solennitatis solummodo causa addit, qui requiritur ad obligationem feminæ perficiendam, ac ideo non ultra intentiōnem extendi debet ac potest 4).

1) Lib. 1. Art. 47. in verb. und soll weiter keine Noth darum sezen, ibique Gloss. germ. sub voce. Der Frauen Vormund ic.

2) Quod late demonstrat Carpz. P. 2. Const. 15. def. 33. 3) Leyser Spec. 350. med. 1. 4) Carpz. l. c. def. 34.

§. LXVII.

Si demum hoc non obstante, curator consentire nolit, ac per consequens auctoritatem ad actum perficiendum necessariam, interponere recusat, quotidiana experientia teste, si curator datius est, sicuti eum pro lubitu elegit, ita eum pro lubitu dimittit, aliumque sua intentione magis fauentem eligit, & si is iterum displicet, alium denuo sibi aduocat, quem iterum dimittit, donec aliquis reperiatur, qui ex voto consentit 1). Sed

H

pona-



ponamus casum quod nemo appareat idoneus, & omnes curam suscipiendam recusent, aut quod curator sit legitimus, qui dimitti, in eiusque locum alius surrogari non possit; tunc iudici competenti integrum est, examinatis probe contradictionis causis, vel defectum supplere, & si nulla iusta appareat causa, litigium permittere feminæ 2) quod vero ad casum necessitatis restringere malim: vel approbata causa contradictionis, in sententiam curatoris ire.

1) Leyser Spec. 328. med. 22. 2) Berlich Lib. 2, Concl. 18.n. 33.

#### §. XLVIII.

Cum quoque necessitas careat lege; in eo casu si curator consentire nolit, vel etiam ob insuperabilia impedimenta non possit, & tamen periculum sit in mora; feminæ etiam, neglectio eius consensu, & sine prævia a iudice facta causa cognitione, negotium propria suscipere potest auctoritate; id quod in impetratione Arresti facile euenire potest 1), & cum leges expresse hoc non prohibuerunt, earum dispositionem ad casum necessitatis itaque extendere non licet.

1) Carpz. I. c. def. 12.

### CAPUT III.

#### DE CVRA FEMINARVM, SECUNDVM IVS ERFURTENSIVM ANTIQVM.

##### SECTIO I.

#### DE STATUTORVM ANTIQVORVM ERFURTENSIVM, ORIGINE ET HABITU.


##### §. LXIX.

**P**riusquam de ipso, quod nos occupat subiecto differamus, non actum agere mihi videor, si ad fontem, ex quo ea quæ de ista cura seminarum haurienda iam sunt, aliquantulum proprius accedam, atque describendo non solum statum legum antiquarum Erfurtensium in genere, sed & in specie ea quæ de isto antiquo statutorum Codice notatu digna mihi videntur, in medium afferam.

##### §. LXX.

## §. LXX.

Quod igitur ad statum legum, olim in patria nostra obtinuentium attinet; mediis temporibus, quorum memoria extat, nullas vbique scriptas leges superstites deprehendes, prater eas quæ ab anno 1306. adhuc asseruantur. Nec tamen credendum est, perpetuas seditiones ac bella, quorum ynum alterum, ex temporum more semper excipiebat, & quorum memoriam nobis conseruarunt historiæ, statum adeo turbasse, vt expertes plane legum fuerint cives, imo potius sicuti mos erat, partim consuetudinariis, partim scriptis iuribus vlos fuisse subditos, etiam ante hunc annum 1306. veritati concordat. Incœperunt enim iam tunc a Sæc. XI., plures alia ciuitates, consuetudines suas ad obliuione in tendentes, vel in dubium vocatas, litteris mandare, easque pro cuiuslibet ciuitatis statu, vel cum dominorum suorum territorialium consensu, vel si hi desides, nec de iuribus suis satis solliciti erant, sine eorum consensu, in vim legalem promulgare ac statuere 1). Inter omnes vero principes eorum seculorum, Episcopi & Clerici vigilantissimi erant, præcipue cum hi eruditio nem omnem in suis monasteriis absconderent, & melius ideo, quam seculares, quibus curam bellorum ac imperitiæ relinquebant, quid conueniat nec ne, intelligebant. Qua ex re illi principes clerici primi fuerunt, qui iam Sec. XI & XII, iura haec tenus consuetudinaria in scripturam redigebant 2) atque turbationes iurium suorum ad superioritatem territorialem pertinentium, in specie eorum, qua circa leges prouinciales ac statuta condenda versantur, & qua præprioris a ciuitatibus subverti coepерant, cum ipsa sibi statuta condere inchoarent, primi sentiebant, ac tempore declinabant 3). Quamobrem paucas in Germania ciuitates inuenies, quæ si medio ævo, ditionis cuiusdam episcopalibus erant, propria auctoritate statuta sibi considerint, cum tamen vbique repieres, eas iure scripto iam tunc vfas fuisse, quod vero semper ab Episcopo, iuribus suis inuigilante prouenerat, vel si ipsa hoc con-



fecissent, tamen ex potestate Episcopi, confirmatum erat.

- 1) De his abunde tractat Riccius von Stadtgesezen Lib. 1. §. 3.
- 2) Lunig. Spicil. Ecclesiastic. Contin. 2. p. 1013. vbi exhibetur Episcopi Wormatiensis Burchardi Lex familiae d. a. 1024. Auctor quoque Chronicus Hildesheimensis, in Libnitii Scriptoribus rer. Brunsuicens. Tom. 1. pag. 748. hocce testatur de Episcopo Hildesheimensi Adelogo, qui jam 1190. obiit.
- 3) Exemplo urbis Bremensis, qua ob sua propria auctoritate condita statuta, in offensam Archiepiscopi sui, incurrerat, & ideo Anno 1246. ad depreciationem cogebatnr per transactionem, cuius simul notabilia verba recitantur, hoc demonstrat Riccius von Stadtgesezen Lib. 2. cap. 2. §. 4.

### §. LXXI.


Quibus itaque præmissis, quid in nostra ciuitate Erfordensi circa fata legum ibi conditarum statuendum sit, illico apparet. Et quidem hanc ciuitatem antiquitus, certis iuribus consuetudinibusque nonnullis, gubernatam fuisse, ex priuilegio FRIEDERICI II. Imp. Erfordiensibus concessi 1) patet; in quo prouti verba sonant: *Omnes bonos usus & approbatas consuetudines, nec non & antiqua iura, quibus dicti ciues hactenus rationabiliter & libere usi sunt, in ciuitate predicta, iisdem ciubus Erfordiensibus, & eorum heredibus, de Cesarea gratia in perpetuum confirmavit* 2). Hæc verba itaque innuunt dilucide, ius quoddam ciuitatis iam extitisse. Id quod etiam si verba Diplomatis cassationis banni, a Romanorum rege, HENRICO VII. eodem anno 1234, tertio Idus Septemb. dati, intuearis, pariter ex verbis: *Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, omnia iura, iusticias, libertates pariter & honores, quibus hactenus sunt gauij . . . . ipsi ciubus innovamus, & auctoritate regia confirmamus, imo etiam, quantum potest esse, intendimus adaugere; elucescit. Vtrum vero hoc temporis leges illæ in scriptis extiterint, aut utrum sine scriptis conseruata sint, nulla adhibita opera e tenebris erui potuit; multo minus quoque de origine istorum iurium, certi quid, statui poterit unquam.*

1) An-

- 1) Anno 1234. Mens. Iulii. 2) Integrum hoc priuilegium exhibet *Falkenstein* in Histor. Erford. Lib. II. Cap. 3. §. 13. *Riccius* von Stadtgeszen Lib. I. cap. 14. §. 1. sqq.  
§. LXXII.

Ex annis vero proxime sequentibus, præsertim M. CC. LXX. de legibus quibusdam latis certiores euadimus. Produnt enim Historiæ, eo tempore promulgatam fuisse a Senatu legem, in qua quælibet translatio dominii, præcipue rerum immobilium, ad manus mortuas sub pena caducitatis interdicebatur; quæ vero lex, Clero de ea acriter apud Archi-Episcopum Moguntinensem conquerente, eius indignationem moverat, & paullo post iterum antiquitata fuit; senatum quoque mulctam mille marcarum argenti puri, eapropter luisse, vulgo referunt. Quidquid autem hoc sit, Diploma tamen transactionis, ob varia dissidia, inter Archiepiscopum Moguntinensem WERNHERVM ex vna, & ciuitate ex altera parte confectum superest 1) quod abunde probat, Erfordienses quidem statuta condendi ius sibi arrogasse; statuta vero condita iterum nullata fuisse, quia contra iura Archi-Episcopi Moguntensis confecta erant, cui ius consentiendi competebat 2). Annulationem istorum statutorum autem, verosimiliter ad illud modo restringimus, quod translationem dominii rerum ad manus mortuas prohibebat, de aliis enim quæstio non inciderat 3). Felicius demum res cessit, cum ciuitas iterum de statutis in scripturam redigendis & conficiendis cogitaret. Circumferuntur enim & adhuc statuta, circa annum 1288. confecta, quibus etiam ciuitas regi cœperat, cum illa sciente & consentiente Archiepiscopo Moguntensi condita, ab ipso quoque confirmata fuerant 4). Ad usum tamen non sufficiebant, & maxima ex parte rem politicam spectabant; alia igitur addenda erant, unde etiam evenit, quod originale eorum negligeretur, nec de his, quid præter copias, superficit.

- 1) *Gudeni* Histor. Erford. Lib. I. §. 24. 2) *Falkenstein* Histor. Erford. Lib. 3. Cap. 2. Hic vero ista facta ad annum 1279.



collocat, & simul Diploma exhibet; quod quoad passum, concernentem ita sonat. *Nem ciues nulla statuta facient, sine consensu domini Archiepiscopi, per quae delectantur iura & honor ipsius Archiepiscopi & Clerisci, & si qua talia facta sunt, irrita inualida sint & cœta.* 3) Quod autem ad hoc statutum dominii translationem ad manus mortinas in specie attinet, illud, paullo post, aliquo nūlum tamen variatum, Anno 1306, iterum renouabatur, & in antiquo Codice de hoc anno, adhuc inseratum videri potest, in verbis Zensal ouch innan in der star zu Erforre odir in deme wipilde n̄t fein gut n̄ikeine gotishuse odir keine pfaffen zu getrouwter hand vor empfa noch vorhalte. Tete is obir das innan der sal ein jar rumie die stat unde das wipilde, unde he en sal herin nicht kumme, he en habis wider tan. Das sal man halde von vrouwen unde von mannern. 4) Extat & adhuc huius rei diploma, ubi verba: *Litteras quoque super iuribus nostris & ecclesia Moguntina, ac ipsius Erphordensis oppidi confeatas, & scriptas teutonica ijsis magistris consulibus & uniuersitati transmittimus, tam nostro quam capituli nostri Moguntinensis sigillorum munimine robatas salvo tamen eo, ut si aliquid in iisdem litteris, tam prædicti domini Archiepiscopi, Moguntin. quam præfati Erphordensi oppidi, vilitati honori & commodo fuerit, emendandum seu etiam corrigendum, id de citu & consensu partium corrigitur.* Adiecta demum est sub calcem memoratorum statutorum, teutonica lingua conscriptorum, etiam ipsa confirmatio teutonica lingua concepta, tub dato Mäng, an dem nechsten Samstage nach St. Catharinen Tag do man zählte 1289, qui confirmationis tenor vero accurate cum tenore citati diplomatis concinit.

### S. LXXIII.

His statutis de quibus modo locutus sum, proxima sunt, quæ anno 1306. condebantur, & quæ adhuc integra in originali conseruantur. Nec hactenus cuiquam fere innotuit hoc venerandum antiquitatis, monumentum nisi quod sparsim ab Ictis, in materia præcipue de successione ab intestato 1), & censuum fuerit allegata. Et quidem DILECTISSIMVS OPTIMVSQUE PARENVS in dissertat. de Iure civitatis Erfordiens. singulari, his annumerari debet; ex huius dissertationis allegatis

tis enim 2) hæcce statuta illi. Püttero 3) & Riccio 4) deum  
innoverunt; Aliquantulum accuratius igitur hunc codicem  
describendum esse putaui. Pictus autem est iste statutorum  
codex, litteris Neo Gothicis sive Monachialibus, nitidissimis  
& sine vlla lassione remansit, ita ut vsque huc sine vlo ob-  
staculo legi ac intelligi possit. Nec pro more temporum  
scriptura compendiis seu ut ita loquar abbreviaturis scatet,  
qua magis studio euitatæ videntur, & si forte aliqua irrepit,  
illa pronomen vel præpositionem aliquam, plerumque con-  
cernit, & tunc pro signo abbreviationis, linea ad extremitates  
resecta, vel pñctum quadratum appositum est; rubricæ titu-  
lorum vero latina lingua conceptæ, plures abbreviaturas con-  
tinere solent quam textus. Absoluitur autem hocce statutum  
articulis XXXXIV, & XX foliis, formam nostram maiorem or-  
dinariam æquantibus, exaratum est. Codex vero in quo in-  
scripta sunt ista statuta, plusquam CC. folia continet, quæ ad in-  
serenda, in posterum statuta condenda, destinata erant; par-  
tim igitur & adhuc fine litteris inscriptis restant, partim vero  
recentioribus statutis repleta sunt. Moris igitur mihi fuisse  
videtur, statuta illo ordine quo confecta erant, in hunc codi-  
cem redigere.

Titulus totius codicis est: *Dit ist die willkür der stat zu Erforte; quem immediate statutum sequitur, quod incipit: Do man zalte nach Gotis geburte Tüsind jar drihundirt jar unde in de me sechsten . . . sequuntur nomina consulum & Senatorum ac denique . . . in deme selbin jare wurden der stat recht gerichtit usse den eit . . . quos sequuntur ipsæ ordinationes vsque ad Fol. XX. Et eadem in tiali formula, sequentes ordinationes, in hunc codicem relata, incipiunt, atque hoc modo fol. XXI. de anno 1313. fol. XXIII. de auno 1319, & hoc modo vsque ad annum 1376. progreditur & folia XXXVII. hisce ordinationibus replentur, quos tandem opificum ordinationes sequuntur, quæ pro ratione temporis insertæ reperiuntur.*

1) Hu-

1) Huius rei multa notata digna nostra statuta continent, quæ partim a *Rennemanno* in *Iurisqrd.* R. G. Memb. 2. append. allata sed non pro dignitate enodata sunt. Cum autem ista materia altiorem requirat indaginem eius tractationem differre coactus fui, cum antea pro dissertatione inaugurali destinata erat. 2) Cap. 2. Sect. 2. Tit. 3. S. 6. 3) Juristische Encyclopäd. in der Zugabe von *Stadtgesetzen*. 4) von *Stadtgesetzen*, Lib. 1, Cap. 14. S. 1.

## TIT. II.

*DE CURA SEXVS SECUNDVM STATUTA ER-*  
*FVRTIENSIA ANTIQVA, IN GENERE.*

§. LXXIV.

Propositum nunc exigit, ut ea quæ de cura sexus, in prælaudatis statutis nostris reperiuntur, plenus euoluam. Ante omnia autem regula est præmittenda: Quod in nostris terris, eadem fere seminarum conditio, eademque, circa curam sexus dispositiones, seu potius mores & consuetudines, in medio ævo obtinuerint, quas supra de *Saxonice* descripsimus. Licet enim in ipsis statutis hæc regula diserte non comprehendatur, nec horum dispositiones circa statutum seminarum adeo vniuersales sint, ac illæ, quæ supra ex J.P.S. allegatae sunt; At-tamen cum antiquis temporibus ista cura seminarum, ad vniuersam fere Germaniam sese extendit: In statutis etiam ipsis, multa quæ de ista cura iam diximus, sparsim occurrunt, quæ quidem licet specialia sint, ad existentiam tamen Curæ seminarum nobis conclusionem permittunt. Siautem existentia certa est, in dubio præsumimus, eiusmodi consuetudines suffisse conformes viciniis 1) & per regionem obtainentibus iuribus 2). Porro quoque verba dispositionum in statutis nostris ita sunt comparata ut ex iis pateat, quod a regula generali sunt exceptiones, regulamque supponant, nulla autem exceptio esse potest, ubi non adest regula. Quibus etiam insuper testis *Rennemannus* 3) accedit, qui sub finem Sæc. XVI. Erfordia floruit, & ius

ius Saxonicum, nobis quoque hac in parte suisse per mores receptum affirmat. Quæ rationes igitur collectiue sumitæ, me ad regulam illam generalem stabiliendam induxerunt. Qua ex re, rationes & status, curæ sexus, qui olim apud Erfordienses obtinuit cum illo generali eiusdem sæculi, quem supra delineavi, coincidere, ac ex iisdem principiis debebit deduci; quæ superius dicta vero hic non sunt repetenda, sed potius exceptiones, & quæ huius loci specialiter obtinuerunt, nobis erunt addenda.

1) *Meu.* ad Ius Lübec. Diff. prælim. 10. n. 3. 2) *Riccius von Stadtgeschen Lib. 2. cap. 2. §. 3. in fin.* 3) In *Turisprudent.*  
Rom. german. Disputat. 52. §. 5.

### TIT. III.

#### DE CURATORIBVS LEGITIMIS.

S. LXXV.

Primo loco circa curatores legitimos, exceptio appetet. Maritus enim prouiti supra demonstrauimus tale ius in vxorem exercebat, vt illa sine eius auctoritate nihil plane suscipere posset. Ast disponit nostrum statutum, coniuges debitum coniunctim contrahentes, hoc coniunctim etiam soluere, oportere. Si vero solutionem recusent, Creditori liberum esse eos coniunctim conuenire, aut maritum solum excutere; marito vero non soluendo existente, vxorem conuenire, quæ tunc absque curatore in iudicio comparere debeat 1). Plane euersam itaque hanc curam esse facile existimare poteris, si secundum litteram iudicare velis. Cum autem hæc dispositio in casu speciali debitorum procedit, a quo ad vniuersalia concludi nequit, 2) 3) & si penitus consideres verba, nihil aliud sane innuunt, quam, consuetudinem quidem esse, vt vxores in iudicibus negotiis, ordinario modo maritorum auctoritate opus habeant, si tamen eueniat casus debitorum specialis ibidem expressus, tunc, & in hoc speciali casu, vxor sine auctoritate mariti, alias curatoris actori respondere debeat; Ex his appetet, hoc loco formatam esse exceptionem a regula,

I

&



& recte inferes, sicuti exceptione alias regula magis firmetur, quam interuerterat, ita & per hoc statutum magis firmatam esse regulam quæ curam mariti legitimam præcipit, quam interuersam esse. Interea quænam ratio huius dispositionis fuerit ad disquirendum iam restat, & quidem videtur, cum plurimum intersit bona vxoris seruari, ita, ut etiam non aliter, quam in subsidium in concursum vocentur 3) hoc etiam in hoc statuto spectatum fuisse; qua ex re, in eo casu ubi maritus & vxor, sicuti in nostra dispositione innuitur, correi sunt; leges nostræ creditores eo inducere voluerunt, ut maritum prius adeant, pro solutione impetranda, si vero quicquam deest, ut ad hoc demum soluendum vxor teneatur, sanixerunt. Nevero creditori, qui hoc modo a iure suo, quod ex correiali obligatione habuerat, nimirum maritum & vxorem simul excutiendi, desiterat, quod damnum oriatur, & ab vxore non amplius moneasti possit, quod facile accideret, si curatoris auctoritate ad item opus esset, & ille negotio interuenire deberet; sanctum est, ut vxor quoad summam deficientein conuenta demum remoto curatore in iudicio respondeat, debitumque residuum soluat.

1) Verba in originali sonant sub rubrica: De debitis. Ein iclich man unde vrouwe die schult mit ein andir gelobin zu' geldene, die fullen sie gelde, tun sie des nicht, man sal sie beide mit einander vordere, ob die cleger wil, vordirt abir der cleger den man alleine, unde getane an dem manne abe, so sal he die vrouwen vordere, unde die sal antwerfte ane vormunden innue die sache. 2) Riccius von Stqdt: gesetz Lib. 2. Cap. 2. §. 7. 3) Meunius ad Ius Lubec. Lib. I, Tit. 5. Art. 7. n. 65.

### §. LXXVI.

Iure Saxonico proximos agnatos alteram speciem curatorum legitimorum fuisse iam constat. Quod igitur ad ius nostrum attinet, pari modo nihil expresse sanixerunt maiores nostri, interea noui vitem propinquorum in feminam potestatem fuisse constat, adeo ut femina eorum mandatum transgre-

grediens, poena publica coerceri potuerit 1). Quid igitur obest, quo minus credamus, pari modo hoc curæ genus & apud Erfordienses obtinuisse. Principue cum in cura minorum in nostris statutis eadem principia deprehenduntur, quæ in J. P. S. obseruata sunt, & agnatorum tutela semper aliis praferri sollet 2) ita ut ab hac cura minorum, eatenus ad curam sexus concludere possimus, quatenus de personis quibus ea competit sermo est, cum idem ordo apud Saxones in deferenda cura sexus obtineret, qui in deferenda cura minorum obseruabatur.

1) Extat huius rei statutum sub rubrica: De pena mulieris transgredientis mandatum amicorum suorum & consulum. Welch vrouwe deme rate nicht wil gehoersam si nach der stat gesetze wennen si ir fr...n...tien, so sal der rat ir gebite daz sin irme huse sihe also lange wan sie getut daz si der rat geheizen hat. Wricht die vrouwe das, so sal der rat sie in sin beheltnizze nemē, daz falsi (seyu) ane der frunde haz. 2) Patet hoc ex articulo, qui est sub rubrica: De constitutione procuratorum puerorum. Worsunit der vater darane sine kind daz he en nicht vormunden sehet also hie geschrieben stet, so sal die neste vater mac unde die eldiste die en svertis halben zu geborn is der kunde vormunde si.... duchte aber den rat .... so sal der rat den kunden vormunden sehet ....

#### TIT. IV.

#### DE CURATORIBVS FEMINARVM

DATIVIS.

S. LXXVII.

Delineauimus quoque supra curam feminarum dativam, nec leues me inducunt rationes ad credendum, eandem curæ speciem etiam nostris in terris olim obtinuisse. Statutum est enim in articulo, cuius rubrica est: De Procuratore relicta cuius maritus mortuus est, intra vel extra terram: Ein iclich vrouwe der man tot ist innwendic landis, der man schuld gibit umme gelt, oder umme eine andere Saché, die sal kise einen vormunden binnen dren sitzen tagen. Stirbit aber ir wirt uzwendic des Landes, unde wied daz deme rate also wizzintlich gemacht daz is der rat gelouben mac, so sal die vrouwe einen vormunden

Kise der ein leyge si. Vorsumit abir si sich da; die zit beißir sit vor-  
get, so sal sie eime iclichen manne antwerte nach siner flage: Hisce  
igitur innuit articulus, feminas pariter curæ quidem subesse,  
sed clare eluce seit, hanc ad negotia iudicialia curatoris adhibi-  
tationem, tunc temporis non amplius tanquam necessarium re-  
quisitum, prouti iure antiquissimo, consideratam fuisse, sed  
iam eo tempore coeptum esse, eam curam pro inani & nociva,  
ad statum non amplius applicabili solennitate habere, quam ab-  
rogare sive limitare, magis conueniat. Qua de re inuita fe-  
minæ non amplius obrudebatur curator, & vt illo tacite re-  
nunciari possit, per effluxum termini definiti sex septimanarum  
statuebatur, & ita mutato principio, pro beneficio femi-  
narum potius illa cura affimabatur. Sed iterum non gene-  
raliter illud statutum loquitur, & viduas solummodo tangit;  
ad virgines itaque hoc plane extendi non potest; generalis  
itaque regula hoc non obstante intacta remansit, vt eo modo  
nihil aliud contineat, quam differentiam a iure tunc temporis  
communi. Id quod forsitan ex eo prouenit, quia per maritum  
omnis legitima & extranea cura finita erat, post eius mortem,  
in curam finitam vidua recidere non poterat, & semel extincta,  
non resuscitabatur.

§. LXXVIII.

Sequitur ex allato statuto porro, illam juris Saxonici dispositionem, vii.  
cuius proximus agnatus, qui tutor liberorum erat, etiam viduae curate-  
lalem gerebat, a nostris non fuisse receptam, hac constitutione enim:  
alias non opus fuisset, cum curator jam in persona proximi defuncti ma-  
riti agnati ipso jure jam adesset.

§. LXXIX.

Statutis nostris igitur multum rigoris antiqui hæc curæ detraictum est;  
quapropter facile tibi persuasu erit, illam juris Lubecensis supra §. 29.  
allatarum dispositionem vi cuius feminæ mercatrices curæ exemptæ sunt;  
nostris etiam in terris obtinuisse, cum historiæ nostræ commercia Er-  
fordiae antiquæ, tanquam florentissima describunt. Sonat autem articu-  
lus statuti: Ein iclich vrouwe di souf unde vorkouf, die sal antwerte:  
ane vormunden wes man ir schuld gibit, die ane man is.

§. LXXX.

Multo generalius loquitur itaque iste articulus quam ius lubecense,  
hic:

hic enim priuilegium mulierum mercatricium, solummodo ad ea restri-  
ctum est, quæ circa mercaturam contrahuntur (§. 40.) Si vero addas  
supra memoratas restrictiones huius curæ §. §. præcedent: in nostris  
statutis admissas, & quod iam tunc pro abolenda ista cura laboratum  
sit, facile concedes; articulum nostrum ob verba, wes man ihr schuld gibt,  
pleniissime intelligendum ac interpretandum esse, adeo ut credendum  
sit, mulieres mercatrices plane & quoad omnia negotia, siue concernant  
mercaturam siue non, curatoria potestari subtraetas & per omnia cum  
masculis æquatas suisse, si excepitis successionem in rebus hereditatis  
auitatis & feudalibus masculinis, aliisque, ubi earum conditio deterior  
erat, que vero huius loci non fuerit.

## §. LXXXI.

Annotanda tamen est restrictio statutorum nostrorum, hanc liberta-  
tem, seminatrum mercatricium non ultra viduas extendens. Rubrica  
enim tituli §. præced. allati, sonat: *VIDVA sicut in iudicio sine procuratore.*  
Cum igitur statutum etiam ex rubrica interpretationem recipiat 1), haec  
interpretationis regula eriam hic attendi debet, cum statutum stricte est:  
interpretandum, ita ut iuriis per prouinciam obtinentibus non sic con-  
trarium 2). Maritata igitur femine hoc priuilegio non sunt gauise;  
potestas enim maritalis eo tempore ad omnia vxoris negotia se se exten-  
debat, præcipue etiam vxori personam standi in iudicio adimebat; ita  
ut si vidua ad secundas nuptias transuolabat, obligationes suas iterum in  
maritum transmitteret, & hie loco ipsius, de obligationibus vxoris re-  
spondere deberet, cuius rei exemplum pariter nostra statuta exhibent,  
que eam maritum potestatem suisse diserte innunt; disponentia 3) si quis  
decedat relista uxore & liberis, honorum vsumfructum penes vxorem  
remanere, quæ exinde liberos alere debeat, & si bona dissipet, eam ex  
hac re, a liberorum tutoribus conueniri posse, si vero ista vidua iterum  
nupserit, vsumfructum & obligationem exinde alendi liberos, eam qui-  
dem retinere, ast si liberorum bona paterna dissipet, tutores ex ea causa  
non vxorem, sed maritum & resp. vitricum, actione conuenire debere;  
qui post nuptias consecurus est potestatem maritalem, quæ suscep-  
tionem negotiorum iudicialium inuoluit.

1) *Meius ad I. I. ubec, in Prelim. qu. 10. n. 24.* 2) *Meu l. c. n. 20.* adde Ricci-  
um von Stadtfesten Lib. 2. cap. 11. 3) Verba articuli sunt: Stirbit ein man der  
ein elich wib leit unde kind, die he mit er erworben hat, d'r kinder mutter die sat siße n al-  
le deme aute: . . . si sat auch iren kinder n die sie mit ihm erworben hat von deme aute mu-  
geliche phlage gebe an kost an kleidernde unde an redelicher notdurft. Desen sat sie nicht ve-  
re nis

re nikelin vorntunde ob der vater den kinden vormunden hat gesakt, noch nikelit aber vor-  
munde sie sal aber antwerte den vormunden vor gerichte oder vor deme rate ob sic der  
vormunde beschuldiget, dasz sie den kinden unrechte tu an ieme gute oder an der phlage,  
unde dasz sal man im richter nach der stat rechte ob dasz wiß des overwunden wird mit rech-  
te. Si sal auch von der varnden habe di te der man gelauen hat gelde, oder von deme erbe  
ob an der varnden habe gebracht; all die schuld di te rechte unde redelichen mit ihr schulz  
die werden; unde mit rechte wisse sie bracht wird ... Vorandis aber sich dasz wiß unde  
nimmt einen etischen man, der sal der kinder mit ryspege von deme gute also da vorschrif-  
ten ist, und sal mit deme wiße in deme gute, hifte unde der man sal antwerte der kindere  
vormunden oder des kinden ob sie zu ien taren kunnen sind also dasz wiß antwerte sal  
also da vorschriften ist.

§. LXXXII.

Qualisunque autem status huius cura sexus, in nostris ditionibus  
fuerit, semper tamen ex mera consuetudine & sine scriptis, præter ea  
qua modo attulimus, conseruabatur. Sed cum iam tunc temporis eam  
curam interuertere coepit, in hoc tramite eo pöcedebatur, ut  
non vsu in totum perirent ea, quæ superorantur sigla. Sentiebant enim  
maiores nostri incommoda cum hoc instituto coniuncta, & sexui, quæ a  
natura debabantur iura, restituebant, præcipue cum ius Iustinianum  
tempestive radices egisset, quæ postea late sele spargebant. Quibus ef-  
fectum, ut haec prisca circa feminas consuetudo, nihil præter recepracu-  
lum nequitia aduocatorum fieret, qui cum saepius de protrahendis lit-  
ibus solliciti essent, omninem lapidem ad iniustissimum finem obtinendum  
mouebant, præcipue etiam, iam non vsu, pro publica salute, eorumque  
detrimento, abrogatam consuetudinem cura, ad hoc male adhibebant,  
ibique præsidia vana querebant. Quibus vero ILLVSTRISS. REGIM. ELE-  
CTORAL. ERFORD. communit, hanc seminarum curam, pro maximo,  
vii in reliquis etiam assoller, emolumento reipublicæ penitus abrogare  
1) Atque, si circa eam neglectam quæstio iterum moueat, ut haec in iu-  
dicando non amplius ullo modo attendatur, gratiose lanceare voluit 2).  
2) Dilc<sup>t</sup>if parens in Append. diff. de iure ciuitatis Erfurtensis singulari §. 2. 2)  
Prodiit hocce mandatum Erfurti d. 19. Octobr. Anno 1706.

§. LXXXIII.

Haec sunt, quæ mihi, circa curam seminarum proferre e re videban-  
tur esse, judicet præterea B. L. quatenus primum hocce periculum ces-  
serit; Ego vero contentus ero, si ista conanima non omni ex parte tan-  
quam inutilia reiiciuntur, nec tamen mentem in melius formare pigebit,  
cum forte de minus recte prolatis, monitus fuero, omne enim huma-  
num a me alienum esse non indicare possum, & quemadmodum tempus  
me semper edocuit, ita & hoc in posterum futurum esse spero.

TANTVM.

PRAENOBI LISSIMO AC DOCTISSIMO

H VIVS DISSERTATIONIS

A V C T O R I ,

AMICORVM SVORVM AESTV-  
MATISSIONO,

S. P. D.

M. FRIDERICVS LDOVICVS DOERING,

O PPONENS.

**M**axima jam perfundor voluptate, AMICORVM INTEGERRIME, dum occasio hodie militi suppeditatur opportunissima, diem, quo ingenii & industria TVAE specimen eruditorum cœtui publice exhibes, animo gratulandi propensissimo. Reprehensione sane esse dignissimus, si numerum eorum, qui acclamatione votiva ad honoris & gloriae templum TE comitan- tur, derelinquerent, & TIBI, ob cursum academicum feliciter jam emen- sum, fausta quævis appræcari desinere. Ita enim semper mecum egisti, ut mihi cause sint graues, cur TE in primis haec tenus amauit, colui, TVIQVE studiosissimus fui. Statim ab ipso tempore, quo mihi TECVM amicitia vincula nectendi ansa fuit data, TE ut amicum inueni, quem & meliorem & certiorem ne fingere quidem, ac mente concipere mihi meti ipsi potuisse. Præprimis indefessa TVA diligenter, erudita conuersatio, & egregii, quos in litteris acquisi- sti, profe- stus mirifice mihi semper placuerunt, insuper morum TVORVM ad modestiam, honestatem & pietatem prorsus compostiorum excellentia admodum sum delectatus. Quodsi vita in Academia transactæ memoriam recolere liber, tunc suauissima TVA conuersatio, & communis studiorum nostrorum tractatio mentem mirum in modum exhilarat. Vna litterisac disciplinis, quod firmissimum necessitudinis pignus est, innu- triti sumus; Vna Themidis studiis animum addiximus: omnia denique dulci animo- rum nexu fecimus, ut illad comprobaremus, eam demum veram esse amicitiam, idem velle, idem nolle. TE semper sincero animi affectu colui, semper amoris mu- tui documenta merui. TE in frequentandis ICtorum scholis nunquam non so- ciū habui; nunc me certaminis TVI comitem ac publicum testem prouo- cas. Prodīs jam in publicum, & luculentum admodum atque præclarum do- frinx diligentiaque TVAE exhibes specimen, Dissertationem nimironu inauguralement proprio marte elaboratam, & eruditorum applausu dignissimam, quamque pari dexteritate aduersus opponentium insulstus TE esse defensurum,

mens

*AK 5. 78*

mens mea fidenter & tibi ominatur. Conscende igitur. AMICORVM PRAESTANTISSIME, conscende locum, ex quo honoris & gloria lux TIBI iamiam adfulget, unde palmam Victoriae & ut audacem athletam iuximia cum laude esse reportaturum, mente iam preuideo. Quanto ego sustundor gaudio, dum TIBI summos & meritissimos in vitroque jure honores in TE prope diem conferendos ex animo gratulandi dabitur occasio. Nihil superest, quam ut vota, que & nunc pro prospero fortuna TVAE successu pura mente fundo, omnemque mentis meæ erga TE affectum paucissimis hisce expreßum amicissime adnectam. TIBI igitur progreslus studiorum TVORVM insignes laboresque academicos cum laude feliciter exantatos graduos, & ob luculentum admodum diligentie ac dextentatis TVAE publicum documentum hanc ac gaudii plenam significo mentem. Fruere ista TVA optimarum scientiarum, artium, literarumque cognitione, fruere diu & feliciter, ut collectas amplissimas eruditio[n]is ac virtutis TVAE opes alma patriæ referas, quin & fructus doctrinae TVAE percipias uberrimos. Gratissimam mihi semper futuram esse scito & nostræ familiaritatis memoriam & eius etiam conservanda ac augenda enixissimam voluntatem. Amicitiam sinceram & immortalem conseruabo, TVAQVE amorem inviolatum & integrum spondeo. Unicum adhuc de TVA mihi sperare licet, sinceritate, nimimum, ut & in posterum, sicut TVA fuit consuetudo, benignè de me sentias, atque favore & voto, TVAQVE amicitia me porro digneris. Hoc enixe, humaniter, & ea, qua TE veneror obseruantia, rogo. Vale, meque, sicut soles, amare perge. Dabam Erfordia,

X. Calendarium Junii M. DCC. LXVIII.

Pon Ya 5578, Qu







AK. 138, 47.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

DE

CVRA FEMINARVM SECUNDVM  
IVS SAXONICVM ET STATVTA  
ERFVRTENSIA EX PRINCIPII  
MEDII AEVI.

Yα  
5548BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANAUNIVERSITATIS-BIBLIOTHECA  
HALLE  
(SAALE)

QVAM  
INDVLGENTE ILLVSTRI IVRECONSULTORVM  
ORDINE  
IN PERANTIQVA ELECTORALI EMMERIC  
ANA ACADEMIA ERFVRTENSI

DEO PRAESIDE  
PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES ADIPISCENDI

D. XXX, MAI MDCCCLXVIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII  
ANSELMINI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITIT

A V C T O R  
IOANNES IVSTINV S SCHNEIDER DICTVS  
WEISMANTEL,

ERFVRTENSIS.

ERFORDIAE, AERE HENR. RVDOL. NONNII, ACAD. A TYPIS.